

Hunc librum Muis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann


TM 0140

Theodor Mahlmann

3. Mai 2003

Burgdorf / CH.

*




EPISTOLA
DIVI PAVLI
APOSTOLI PO-
STERIOR AD THESSA-
lonicenses scripta, perspicuis
Annotationibus il-
lustrata

Per

EGIDIUM HVNNIVM, S. THEOLO-
gia Doctorem, & Professore in Aca-
demia Marpurgensi.

Cum eiusdem Præfatione ad Christia-
num Lectorem.



MARPURGI
Ex officina Pauli Egenolphii

M D LXXXVII

EPISTOLA

DIVI PAULI

APOSTOLI PO-

STERIOR AD THESSA-

lonicenses scripta, peripicinis

Annotationibus II.

Illustrata

per


ORDINUM HUMANIVM, & THEOLO-

gic Doctorum, & Professorum in Aca-

demia Marburgensi.

Cum eisdem Præfatione ad Christia-

nissimos Lectorem.



MARBURGI


Ex officina Pauli Eggenolphi

M D LXXXVII



AD CHRISTIA NUM LECTOREM

PRAEFATIO.



SI propter Autorem suum in admiratione sunt Ciceronis scripta, tanquam ab eo profecta, qui in humana Eloquentiae Facultate fastigium penè summum attigit: Si Aristotelis libri magnifunt, propter acumen exactissimi de rebus iudicij, quod in illorum Autore, Philosophorum omnium facile Principe, enituit: si deniq; ad quemq; ferè librum seu scriptum aliqua ex Autoris celebritate dignitas accedit: quidni Diui Pauli Epistolæ, inter cæteras suæ Certitudinis Maiestatisque notas, etiam propter Autorem, à quo prodierunt, admirandæ nobis esse de-

A 2 bent

P R A E F A T I O

bent & sacrosanctæ? Quis enim quantusq; vir DEI extiterit Paulus Apostolus, id iam inde ab ipsius tempore apud omnium seculorum Ecclesias notum celebratumq; fuit. Et sanè cum vsus obtineat, & à me requirat, vt meas in posteriorem Epistolā Paulinam ad Thessalonicenses commentationes editurus, Præfationis loco aliquid præmittam, ne labor hic meus ἀνεφθόνη exire videatur: huius ipsius Apostoli laudes, non quas cum alijs communes habet, sed quas ipse ferè peculiare obtinet, breuissimo transcurso attingam: quibus aliàs non dicam pro dignitate satis exornandis, sed ne quidem percensendis vlla par esse possit oratio.

Nam vt hinc institutæ Narrationis telam exordiar: vt Dominus Ecclesiæ suę oculos in hunc insignem Doctorem gentium velut Angelum è cœlo procedentem conuerteret: inter cætera ipsum hoc etiam nomine illustrem celebremque reddidit, quòd, priusquam in orbem nasceretur, multis antè seculis de
co vati-

eo vaticinari non est dedignatus. Nam
Dauid cum res gestas Saluatoris Chri-
sti per Euangelij doctrinam occupantis
mundum in Spiritu admiratur, & velut
in Triumpho introducit cum Regem
ipsum, tum Duces eius, quorum opera
ministerioq; terrarum Orbem subactu-
rus esset: ibi præ cunctis cæteris hunc in-
signem Apostolum, in prima velut acie
constitutum, iucunda descriptione, ceu
indice digito designat, hunc in modum
canens Psalmista: Viderunt ingressus
tuos DEVS, ingressus Dei mei, Regis
mei, qui est in Sancto. Præcedunt Prin-
cipes coniuncti psallentibus, in medio
puellarum tympanistriarum. In Eccle-
sijs benedicite Deo Domino, de fonti-
bus Israël. Ibi Benjamin adolescentulus
in mentis excessu: Principes Iuda Duces
eorum: Principes Zabulon, Principes
Nephtali. Vbi per Benjamin paruulum
illum in excessu mentis ingredientem
Diuus Paulus ex ea tribu oriūsus com-
munibus interpretum suffragijs intelli-
gitur, reliquisq; in hac spiritali militia

P R A E F A T I O

Ducibus Apostolis anteponitur, velut is, qui præ cunctis cæteris (vt ipsemet a libi, ad sui muneris Autoritatem vindicandam, asserit) laborârit.

Sed & admirâda ipsius cùm ad communionem Fidei, tùm ad Apostolatus officium vocatio, nobis illum meritò cõmendabilem reddit. Nam cùm priùs in Pharisaismo institutus, ex more cæterorum suæ sectæ Phariseorum tanto in Iesum Nazarenum odio totus flagrasset, vt si vno hiatu Christum & Christianos absorbere potuisset, nihil reliqui facturus fuerit: subitò ex Pharisaicarum opinionum labyrinthis, infestoque odio illo Christi resipuit, non communi illa, qua cæteri homines, sed planè singulari ratione conuersus, & ex medio impietatis cursu ad fidem Christianã ductus: quãdo nimirum Procerum populi Iudaici literis instructus, Damascũ ad persequendum ibi discipulos Iesu Christi, concitatissimo feruore contendeat. Ibi enim voce inter clarissimum fulgetrum coelitus sonãte, ita totus percussus

culsus & prostratus est, vt non modò ab instituto desisteret, sed admiranda conuersione ex Iudæo Christianus, ex rapaci lupo mitis ouicula, ex impio Pharifæo sanctus Apostolus, ex violentissimo persecutore Ecclesiarum, earūdem Doctor & Pastor, ex Christiani Nominis iuratifimo hoste celebris Iesu Christi confessor euaderet. Qui vt priùs nomen Christi ex hominum memoria penitus obliteratum, Euāgelium extinctum, Ecclesiamq; radicitùs exterminatam cupiebat: ita post omnis ei cura fuit, vt longè lateq; Christi nomen inclaresceret, Euāgelium curreret, & Ecclesiæ Christianæ pomœria ad extimos Orbis terrarū fines atque terminos proferrentur. Huc omnem suam operam studiumq; contulit, hoc solum & vnicum incredibili zelo, non cæco illo, quo priùs Ecclesias vastabat, sed sobrio peregit, adeò, vt vel mortem oppetere, suumq; profundere sanguinem pro Euangelij sancta Professione minimè dubitaret.

Iam porrò si spectemus, qua in Scho-

A 4

la, quo

P R A E F A T I O

la, quo Magistro Doctrinam, quam in mūdo professus est, perdidicerit: rursus tale quippiam se offeret in eo, quod in nullo vnquam Prophetarum aut Apostolorum fuit animaduersum. Moses sane Prophetarum omnium Corypheus, Leges suas protulit ex admirando illo Colloquio cum Deo in Sina monte habito. At verò Paulus noster non legem accepit, quæ mortis administratio est, sed Euangelium conferendæ vitæ Organum: non in monte aliquo terreno, sed in cœlesti Paradiso: nec accepit, mediante Angelorum dispositione, vt olim Moses, sed ex ipso hausit ore Saluatoris Iesu Christi: quem vidit & audiuit, nō vt cæteri Apostoli, in humilitate formaq; seruili concionātem, sed in adoranda Maiestatis suæ dextrâ, hanc Euangelij sacratissimam Doctrinam vnâ cum multis alijs ineffabilium mysteriorum arcanis sibi reuelantem. Ergò iam D. Paulum non velut in terrena Schola institutum Doctorem, sed tanquam cœlitus descendentem Legatū Dei reueremur ac suspicimus.

cimus. Quemadmodū ipsemet perspicuè fatetur, se Euāgelium suum neq; ab hominibus, neq; per homines, sed per reuelationem Iesu Christi accepisse.

Quamprimū igitur volūate Christi fuit vocatus, eiusdemq; institutione ad hoc munus laudabiliter administrādū eruditus: incredibile est, quanta fide, quanto studio, quanta diligentia & assiduitate, munus sibi delegatum obierit: quā in vniuersas occasiones intentus fuerit, vt tanquā fidelissimus dispēsator mysteriorum Dei doctrinam Euangelij cœlitūs acceptam inter gētes spargeret ac ppagaret. Nihil certè prius, nihil antiquius, nihil vsquam sibi vel optatius duxit, vel gloriosius, quā vt suæ prædicationis operâ Nomen gloriaq; Christi longè lateq; innotesceret: atq; id vt fieret, nullis laboribus, nullis molestijs, nullis obiectis difficultatib⁹, nullis tam arduis & impeditis terra mariq; itineribus, periculis deniq; nullis se retardari auocariq; passus est. Tanto enim amore flagrauit illustrādæ gloriæ Christi, vt sibi

P R A E F A T I O

Act. 20. neq; hāc lucem charam duceret, saltem
 vt cursum suum inter gentes cum gau-
 dio consummaret. Desiderium salutis
 hominum in eo fuit tantum, quantum
 in nullo vnquam conspectum est. Quo-
 ties de prospero Ecclesiarū statu fit cer-
 tior, quā is exultat spiritu? quas DEO
 solenniter agit soluitq; gratias?

Quando vicissim audit, Satanæ & or-
 ganorum ipsius conatu cursum Euan-
 gelij interpellari, turbari Ecclesias, oriri
 schismata, diffensiones, & offendicula,
 vel in doctrina vel moribus: quā ibi,
 Deū immortalem, sollicitus est? quā
 afflictus? quā nihil non tentat, vt hisce
 vulneribus idonea salutariaq; remedia
 adhibeantur, Satanæq; conatibus ob-
 uiam eatur? Hic pijs ad Deum precibus
 & lachrymis, mox Epistolis suis, sanctis
 institutis, præceptis, monitis, obsecra-
 tionibus & obtestationibus, errantes in
 viam veritatis reducere, peccātes ad fru-
 gem meliorem emendare, obortas dif-
 fensiones sopire, & Ecclesias in rectum
 statum atq; ordinem reuocare tentat.
 Quod

Quod ipsius Epistolæ passim, ea verò imprimis, quâ Galatas exorbitantes in semitam Euangelij reduxit, abundè loquitur: vbi zelo diuino quodam videas exardescentē in turbatores Pseudoapostolos; rursus affectum in eo deprehendas planè paternū erga miserè circumuentos Galatas, quos suos fratres, suos filiolos appellat, quos de nouo rursum parturiat, donec formetur in eis Iesus Christus: & rationibus ad persuadendū exquisitissimè comparatis allicit eos, vt erroribus abiectis ad Euangelij primitus annunciati incorruptam sinceritatem se recipiant. Adeò nullum non lapidem mouendum sibi duxit, vt quàm plurimos Christo Domino suo lucrificeret.

Quis, obsecro, sine stupore vel audire saltem possit grauiissimā ipsius attestationem, qua sanctè testificatur, Iudaicæ gētis abiectiōnem tam inexplicabilem dolorem sibi parere, vt salutem Iudæorum hostium suorum, vel proprio suo sempiterno exitio redemptam desideret?

P R A E F A T I O

ret? Quæ res, nisi religiosissimè fuisset ab eo cõfirmata, prorsus in hominum aurbus atq; animis visa fuisset incredibilis. Quod vel vnicum indicio nobis esse queat, quanto & quàm incomparabili zelo, fide, diligentia & sedulitate in hominũ salute prouehenda vigilârit. Hinc eximia quadam prudentiâ, Christianis ex Iudaismo & Paganismo cõuersis circa rerum indifferentium vsum se accommodare poterat & solebat, vt (quoad eius fieri posset) offenderet neminem, ædificaret autem plurimos, atque hunc omnium suarum actionũ scopum vnicè sibi præfixũ haberet, vt & Christi gloria toto terrarum Orbe percrebesceret, & innumeræ myriades hominum erudirentur ad perpetuam beatitudinem.

Atq; hoc quanto successu perfecerit, consideremus. Fuit certè ad res tantas perficiẽdas adiuncta laboribus Apostoli nostri Diuina quædam benedictio veriùs, quàm fortuna. Vt enim assiduitatis beneficio paucis annis penè omnium gētium Orbem perlustrauit: sic (coeptis ipsius

ipsius annuente Domino) cum plurimas
tum amplissimas gentes & nationes ad
obedientiam fidei perduxit. Testis est Lu-
cas, qui labores eius laborumque; successum
libro Actorum Apost. descripsit, maxi-
mamque; partem scriptionis suae in p̄cen-
sendis D. Pauli itineribus consumpsit. Te-
stes sunt Orientis Ecclesiae florētissimae:
testes sunt Corinthij, Galatae, Ephesij,
Philippenses Macedones, Colossenses,
Thessalonicenses, alijque; populi penè in-
numerabiles. Testis est celebratissima
totius Occidentis Ecclesia, eius tempo-
ris, Romana. Confirmat idem hoc ipse-
met (non in suam sed Dei gloriam) quan-
do se ab Hierosolymis & regionibus vn-
diquaque; circumiacentibus ad Illyricum
vsque; suo Euangelio compleuisse omnia
perspicue p̄fitetur. Id ipsum verò agno-
scunt, & ad finem vsque; mundi gratis mē-
tibus celebrabunt Ecclesiae cunctae vbi-
uis terrarum atque; gentium, quae sanctis-
simis laboribus huius Electi Organi Dei,
cum inestimabili fructu perfruuntur, &
pro iisdem vota Deo soluunt.

Admi-

P R A E F A T I O

Admirantur Historici Alexādrī Magni res gestas, quòd duodecim annorū spatio, totum penè orbem terræ debellauit & subegit. Suspiciunt profani Scriptores, bella, victorias, Triumphos, & Trophæa C. Iulij Cæsaris, adeò vt Cicero etiam acclamet ei: Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, &c. Verùm si D. Pauli res præclarè gestas æqua lance pensitemus: nōne vel hoc nomine (vt cætera taceam infinita) sunt augustiores, quòd sine vllō strepitu armorum, vana Numina gentilium, ad quæ Imperatores illi suas victorias referebant, Euangelij voce prostrauit, religionē Ethnicam multis inueteratam seculis validissimè debellauit, gentes ipsas idolatrica superstitione barbaras, moribus ingenijsq; disiunctas, linguis atq; legibus ab inuicem discrepātes, easq; multitudine penè innumeras sic domuit, sic expugnauit: vt auita superstitione sua relicta, concionem Apostoli Pauli de Christo
cruci-

crucifixo, cùm absurdam rationi, tùm voluntati hominis inimicam, pro coelesti veritate reciperent, & ad Radicem Esa. 11. illam Isai Iesum Christum, velut expansum vexillum, iuxta Prophetarum vaticinia se aggregarent.

De quibus illustrib. victorijs, suo quidem ministerio, virtute autem Christi, partis, Apostolus ipse sic scribit: Arma 2. Cor. 10 militiæ nostræ nō carnalia sunt, sed potentia Dei, ad demolitionem munitio- num, quibus armis cōsilia demoli mur, omnemq; celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo.

Hæ porrò tantæ res non sine multis magnisq; periculis sunt perfectæ. Nam propter Euangelij p̄fessionem à popu- 2. Cor. 11. laribus suis Iudæis quinquies quadragenas plagas vna minus accepit: Ter virgis cæsus est: semel lapidatus: ter naufragiū passus: adeoq; nullo non periculorum genere terra mariq; defunctus. Quibus omnibus exantlatis, cùm sex annos & triginta

PRAEF. AD LECTOREM.

triginta circiter, operam fidelem suam
in plantanda per Orbem Ecclesia præsti-
tisset Domino: sub Nerone Cæsare ca-
pitis supplicio est affectus, celebriq; co-
ronatus martyrio. Cui decertati boni
certaminis, consummati q; cursus bra-
beum, Coronā immarcessibilem illam,
imponet Christus Iesus in die illo, non
solūm autem ipsi, sed & omnibus, qui
diligunt aduentum eius.

Hæc sunt, quæ in hanc insignem Epi-
stolam, quam Paulus secundam ad The-
salonicenses dedit ac misit, præfari visum
est, vt ex tãti Autoris Sacrosancta digni-
tate discamus venerari ipsius Epistolas,
tanquam ex Dei Curia delatas, quibus
Dominus suam Ecclesiam vtiliter in-
format, & ad finē vsq; mundi gubernat.

Æternus Deus, Pater liberatoris no-
stri Iesu Christi, sanctificet nos in verita-
te verbi sui, atq; hoc præclarum deposi-
tum conseruet nobis nostrisq; posteris,
vt indè fructus vberes proferamus ad
vitam æternam, Amen.

Erratum. Fol. 9. b., lin. 21. lege: hoc meridie.

PROLE-



PROLEGOMENA IN
POSTERIOREM EPISTO-
*lam Pauli ad Thessaloni-
censes.*



Aggressurus explicationem
posterioris Epistolæ Pauli-
næ ad Thessalonicenses scri-
ptæ, primò de Causa, quæ
& Apostolum ad scriben-
dum, & me ad enarrandum illam im-
pulerit, agam. Mox de Autore eius sub-
iungam. Denique totius Epistolæ sum-
mam siue argumentum strictim ac bre-
uiter explicabo.

Primum ergò quod attinet: Cùm
Diuus Paulus Epistola priore non pau-
ca de Christi Saluatoris ad Iudicium ad-
uentu ac die nouissimo tractasset, id ve-
rò nonnulli eò intelligerent, vt diem il-
lum Domini iam iam pro foribus esse
iudicarent, atque hinc in sua vocatione
remissiores euaderent, quippè qui la-
bores

PROLEGOMENA.

bore & operas suæ vocationis, aduentu illo interpellandas atque interrumpendas, propè frustraneas fore arbitrarentur: idcirco Paulus Apostolus mentem suam planius expositurus, hanc alteram ad eos mittit: qua præcipuè hoc agit, ut hanc eis opinionem eximat, ac doceat, non ita confestim aut immediatè venturum Dominum: sed præcessuram initiò horribilem Ecclesiæ calamitatem, nempe Apostasiam ac defectionem à fide propè vniuersalem, cuius Autor sit futurus Antichristus, de quo & antehac oretenus illis sit concionatus. Atq; hæc sanè causa extitit Apostolo, quamobrè altera hac vice scribendum eis putaret.

Ad exegeticam verò enarrationem Epistolæ suscipiendam me cumprimis impulit & incitauit luculentus ille Tractatus, quem de Antichristo habet Apostolus 2. capite. Etenim quia in hac meridie, in hoc Sole splendentis Evangelij, Iesuitæ Anrichristi mæcipia, suum, quem ipsi colunt & adorant, Papam, Antichristum esse fortiter & impudenter

ter

ter pernegant, & alium quendam, nescio ex qua Vtopia, multò post (ad Calendas fortasse Græcas) venturum garrunt, vt animos hominum in suspenso relinquant, ne Antichristus verus ille è latibulis Romanæ Babylonis in lucem & conspectũ orbis protractus, suis quoque hominibus sordere ac foetere incipiat: necessarium est, vt ex sacris literis definiatur, quis sit Antichristus, quibus ille notis, quibus proprietatibus atq; signis à Spiritu sancto descriptus, annè iam venerit, vel secus, vt si commõstretur, venisse illum, eò rectius is vitari possit, tanquam nocentissimus lupus Animarum, quem cauendum Spiritus sanctus tam diligenti & accurato studio præmonuit.

Cùm igitur istius de Antichristo loci Sedes in hac Epistola collocetur, & penicillo Spiritus sancti graphicè admodum suis coloribus depictus, suis lineamentis ad viuum expressus, Antichristus ob oculos statuatur à Paulo: decebit vtiq; nos tanto Apostolo de re tanta, tamq;

PROLEGOMENA.

tamq̄; ardua differēti, & aurium & cordium attentionem accommodare. Est enim hoc Caput Christianę Religionis ita comparatum, vt qui ex verbo Dei sibi persuasum perspectumq̄ue tenet, Papam esse Antichristum Magnum illum, qui iuxta Prophetarum Apostolorumq̄ue oracula venturus erat, is facilè deinde toti ipsius regno renunciet, & ad orthodoxam reformatarum Ecclesiarum Confessionem, propè nullo negotio perducatur.

Proinde etiam cùm ad Paulinũ tractatum illum secundo capite peruenerimus, eam, quæ à nobis proficisci potest, in euoluendo illo diligentiam adhibebimus, & fidem.

DE AVTORE EPISTOLAE.

AVtor Epistolæ huius primus ac supremus est Spiritus sanctus, ex cuius coelesti patefactione Paulus cùm dogmata huius Epistolæ contextu comprehensa, ex abscondito in lucem protulit, tum verò etiam in primis de Antichri-

christo eiusq; Regno à longè vaticinatus est: cùm quidem res futuras, præsertim tales ac tantas, tamq; sublimes, tam insperatas, & ab omni sensu humanæ rationis absconditas prævidere ac prædicere, in humanæ sapientiæ arbitrio positum non sit, sed in Dei solius Maiestate, & infinita sapientia, quemadmodum Esaiæ 41. alijsq; sequentibus ibi Capitibus hac ipsa facultate prædicendi res futuras, tanquam infallibili nota, se à vanis idolatricarum gentium numinibus discreuit ac distinxit.

Vnde sanè comprobatur liquidissimè, non è Pauli Apostoli cerebro hanc enatam Epistolam, sed à rerum futurarum conscio illo ac præscio Spiritu diuinitus inspiratam, ac cœlitus dictatam esse.

Cæterùm huius diuini Spiritus Amnuensem esse Diuum Paulum, nō modò præfixum nomen euidenter arguit, sed etiam adiecta, sub calcem Epistolæ, subsignatio manifestè declarat, quæ sic habet: Salutatio mea manu Pauli, quod

B 3 est


PROLEGOMENA.

est signum in omni Epistola, ita scribo. Quibus indicijs non dubiè constabat semper, illam ab insigni hoc Apostolo esse scriptam. Proinde nec dubitatum fuit vnquam, an Canonicis scripture sacrae libris esset annumeranda. Non poterat enim non scire vera Christi Ecclesia, ea, quæ Paulus scriberet, ex arcana Dei Curia proficisci, vbi ipse totam Evangelij sui doctrinam speciali dispensatione & patefactione velut è Saluatoris manibus accepisset.

Argumentum Epistolæ.

Thessalonicenses ob constantiam in doctrina fidei collaudat Apostolus, quod nullis aduersitatibus à professione fidei Christianæ haftenus potuerunt depelli. Hortatur simul illos ad perseuerantiam, sub infallibili spe retributionis in aduentu Domini Iesu Christi. Post de aduentu Christi tractaturus, antecedens illius signum constituit defectionem magnam sub Antichristi Regno. Qua occasione ad plenam eius loci tractationem descendit, causam explicans, ob quam Deus tam horribilem seductionem Orbis sit permissurus, vt stimulum addat Thessalonicensibus, eò studiosius sanæ doctrinæ depositum conseruandi. Quam ad rem Dei auxilium pollicetur.

cetur. Tandem monet, vt constitutiones ab Apostolis acceptas obseruent, inordinatè viuentes arguant, & ad meliorem frugem corrigant.



Caput I.

Argumentum.

PRIMA pars Capitis continet Epistolæ cū subscriptionem, tū inscriptionem, vñ cū salutatione, qua Thessalonicensibus fausta precatur. Secunda parte laudat ipsorum fidem, charitatem, & patientiam, & allatis in medium rationibus ad perseuerantiam illos exuscitat. Deniq; parte tertia votum subiungit, vt Deus cœptum opus in illis compleat.

PRIMA PARS.

PAULUS, & Siluanus, & Timotheus, &c.) *In Epigrapha D. Apostolus haud meminit Apostolicæ suæ dignitatis aut Officij, sicut alijs Ecclesijs scribens, facere aliàs consuevit. Causa fuit, quia sicut in alijs Epistolis opus erat suam auctoritatem vindicare ab iniquis iudicijs Pseudoaposto-*

B 4

lorum

lorum turbantium Ecclesias: Sic quia Thessalonicenses illum agnouerant pro indubitato Apostolo Christi, nihil attinebat id exprimere, quod extra disceptationis aleam apud ipsos erat positum.

Ceterum adiunguntur Paulo subscriptionis socij duo excellētes Ecclesiae Doctores, Siluanus & Timotheus. Fuit Siluanus aliquandiu Corinthiacae Ecclesiae Minister. Sic enim de illo habent verba Apostoli 2. Cor. 1. Dei filius Iesus Christus, qui inter vos per nos est praedicatus, per me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit etiam & Non &c.

1. Pet. 5. Hunc Diuus Petrus fratrem fidelem nominat. Ideoq; Paulus illum socium subscriptionis utriusque ad Thessalonicenses Epistolae adsciscit, unā cum Timotheo, qui partim ex Actorum Apostolicorum libro, partim ex duabus Epistolis Paulinis ad illum peculiariter scriptis, partim verò ex reliquis Paulinis Epistolis (ubi identidem eius honorifica occurrit mentio) valdè notus, & per Orbis Ecclesias celebris extitit.

Quanquam autem ad declarandum suum cum hisce duobus Doctoribus consensum,

sum, ad amplificandam illorum in Ecclesia
 auctoritatem, ad conciliandam quoque E-
 pistola suae gravitatem maiorem, in subscri-
 ptionis societatem illos admittit: tamen ex
 filo & stylo sermonis, ex subsignatione ad fi-
 nem Epistolae peculiariter adiecta, ex myste-
 rij in hac Epistola reuelati Maiestate, adeoq;
 ex rerum longè post futurarum praedictione
 luculenta Euentuq; clarissimo palàm appa-
 ret, profectam illam esse à mediato authore,
 non Siluano, non Timotheo, sed Paulo, qui
 ex Spiritu sancto de Antichristi cum sedu-
 ctione horrenda, tum illustri patefactione
 vaticinatus est: qui & hoc, & de rebus
 venturis, mysteria nonnulla alia (putà Ro-
 man. II. I. Cor. 15. I. Thess. 4. I. Tim. 4.
 &c.) fatidico planè Spiritu praevidit ac pra-
 nunciavit.

Quibus verò inscribitur Epistola? Ec-
 clesiae Thessalonicensium. Fuit autem
 Thessalonica Macedoniae Metropolis, à Cas-
 sandro olim condita, & Halia dicta: postea
 verò ob Thessalos (populos Graecos) à Philip-
 po Rege Macedonum ibi fusos ac devictos
 Thessalonica nominata fuit.

B § Huius

I. CAP. POST. EPIST.

Huius Urbis Ciues atque incolæ prædicatione vulgatoq; in orbe Euangelio non modò crediderant, sed insuper rarissimæ constantiæ exemplo egregiè in illo perstiterant, adèò ut Apostolo contestante, eximij zeli & in sufferendis ob veritatem afflictionibus patientiæ exemplo cunctis Achaia Ecclesiis præluxerint. Vnde non dubitat D. Paulus hanc Ecclesiam, suam appellare coronam, gaudium & letitiam.

Addit autem in Inscriptione: in Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Qua notatione seu Periphrasi, secernitur illa ab Ecclesia malignantium, & ostenditur, Ecclesiam Thessalonicensem verè vocatam à Deo, & in Domino Iesu Christo ad communionem vniuersalis Ecclesiæ, Euangelijq; obedientiam esse collectam.

Gratia sit vobis & Pax à Deo Patre nostro) Salutatio Apostolica est, cum pio voto, faustaq; precatione summorum bonorum Spiritualium coniuncta. Per gratiam enim, Dei gratuitum erga nos fauorem intelligit, quo per & propter Christum in filios nos adoptat. Per Pacem verò, cordis cum
Deo

Deo reconciliati tranquillitatem, ex efficaci sensu illius fauoris Dei efflorescentem. Simul autem (etsi minus principaliter) externam quoque prosperitatem, omnisq; generis bona, Pacis vox, phrasi Hebraea complectitur. Hæc omnia precatur illis à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. A Deo Patre quidem, tanquam primo principio atq; fonte, autore & datore omnis boni. Quem Apostolus Patrem nostrum appellat, non tantum Creationis respectu, sed maximè omnium propter nõ deicitur seu adoptionem in filios, qua nos in Christo Iesu dignatur.

Deinde à Domino Iesu Christo precatur Thessalonicensibus hæc dona & bona, tanquam eo, qui hæc omnia singulaq; passionis merito impetrauit, per quem etiam Pater sua bona hominibus offert & confert.

LOCI COMMUNES.

Primus. Quod tantus Apostolus in subscribenda hac Epistola collegas adsciscit, Siluanum, & Timotheum, quantumvis conditione qualitateq; donorum longè inferiores:

riores : humilitatis admonet Doctores in Ecclesia Christi præcellentes, ne ob dona sua ita se efferant, ut alios præ se despiciant, sed operas & honorem cum illis partiantur. Quod facere cum non puduerit incomparabilem illum Doctorem gentium, qui in æterni paradisi schola diuinitus eruditus est : multò certè minus alios quantumuis illustribus & præclaris donis præditos id facere vel pudeat vel pigeat.

II.

Secundus. Admonet eadem concors subscriptio, de Doctorum pio sanctoq; in Religione consensu. Quo quid dulcius aut iucundius esse potest? quid ad Satanae conatus retardandos validius? Quod efficacius aut presentius Medium ac remedium aduersus impetum illum inualefcetium errorum atq; heresium? Porrò quàm etiam sit necessarius ille Consensus Doctorum, ex contrario manifestum euadit. Dissensionibus enim Doctorum Ecclesie, cursum Euangelij haud mediocriter retardari, præberi occasionem leuibus ingenijs noua subinde comminiscendi dogmata, offendi infirmos, in impietate sua confirmari homines profanos, & de Religione

ligione haud multum sollicitos, ceterorum animos suspendi, ut quid in tanta dissidentium opinionum varietate, & dogmatum confusione potissimum credendum habendumque sit, ignorent, denique ad ultimam Ecclesiae perniciem latam viam sterni: ex perpetuo militantis Ecclesiae cursu notius est, quam ut ullam probationem desideret. Ante omnia igitur studeant Doctores Ecclesiarum Consensum inter se pium sartum textum conseruare, pium, inquam, consensum, qui verbo Dei ceu fundamento ac basi innitatur. Cuius iucundissimae Concordiae suauitatem Psalmista proprio celebrauit Psalmo 134.

Tertius. De subscriptionibus Docto- **III.**
rum Ecclesiae in fidei negotijs etiam hic monemur, quas ad testificationem laborantis veritatis (requisiti praesertim) recusare bona cum conscientia haud possunt, maxime ubi contra ingruentes errores & corruptelas veritas doctrinae caelestis asserenda est. Hoc enim esset vel prodere veritatem, vel eandem suo suffragio destituere. Proinde rectissime fit, quando legitima ratione ac
pro-

processu colliguntur vota docentium in Ecclesia, ad hereticos eò rectius validiusq; propulsandos, & confirmandos animos piorum. Videant autem & qui subscriptiones petunt, quid subscribendum proponant, & qui subscribunt, quid subscribant. Non enim excusati erunt, si post conquerantur, sibi haud dum lectum fuisse aut visum, quod subscribere debuerint: tametsi querimonie tales haud raro reperiuntur fictæ & falsæ. Si autem maximè aliquid tibi proponatur tua confirmandum subscriptione, tuq; manus subsignatione protinus confirmes id, quod nondum vel legeris, vel ponderaris: certè si post conqueraris: quid facias aliud, quàm quòd animi tui pudendam in re tanta leuitatem Orbi Christiano manifestas? dum fateris ipse, te in eiusmodi articulis, qui & Dei notitiam, & animarum perpetuam salutem cõcernunt, subscripsisse quippiam vel non lectum vel nondum expensum.

III. Quartus. Quod Paulus præter superiorem Epistolam, hanc insuper ad Thessalonicenses posteriorem scribendam ducit, & qui-

quidem ad homines in fide egregiè firmatos : de vigilantia admonet Ecclesiarum Ministros, ne etiam in prospero Ecclesie statu dormiant & ferias agant, quasi prorsus debellatum sit, sed velut in vigilia constituti, perpetuò excubent pro grege Domini. Si quidem etiam in confirmatis Ecclesiis, ubi stertunt Pastores, Diabolus zizania sua Math. 13. spargit, abutens prepostera illa Doctorum requie. Proinde semper vigilandum, semper faciendum officium, prædicando sermonem, instando tempestivè, intempestivè, ut Paulus suum monet Timotheum, seq. ipsum 2. Tim. 4 exemplar vigilantie proponit Ephesinae Ecclesie Presbyteris, quando assuevit, se per triennium nocte ac die non cessasse cum lacrymis monere unumquemq., Act. 20.

Quintus. Quod florentissima illa Thesalonicensium Ecclesia seculorum aliquot V. progressu ac decursu à barbarie impietateq. Mahometica penitus occupata & vastata est : discimus, Ecclesiam non esse ad loci successione alligatam, ut de sua Romana (quæ tamen ipsa quoque à semetipsa turpissimè degeneravit) fingunt ac somniant Pontificij.

Sextus.

- VI.** Sextus. Idipsum verò & de pœna ingrati-
tudinis nos admonet. Etenim si sacro-
sanctum depositum Euangelij Christi non
fidei studio seruent homines, sed quodam
peruerso aurium pruritu, nouitatisq; deside-
rio capti fastidiant doctrinam sanam: fit
Thef. 2. ut Dominus auferat verbum suum, & mit-
tat efficaciam illusionis, ut iudicentur o-
mnes, qui non dilexerunt veritatem, ut
salui fierent, sed approbauerunt iniustitiam.
Amos 8. Sicut & populo Iudaico prædixit Amos, &
filius Dei tum Angelo Ephesinæ Ecclesiæ,
tum ipsi illi Ecclesiæ Ephesiorum intermi-
natus est: Memor esto, inquiens, unde ex-
Apoc. 2. cideris, & pœnitentiam age, & prima opera
fac. Sin minus, veniam tibi citò, & moue-
bo candelabrum tuum de loco suo, nisi resi-
pueris. Ergò pro cœlesti thesauro Euangelij
gratissimus, grati verò non verbis dunta-
xat, sed factis & re ipsa, vitæ nimirum no-
uitate & castimonia.
- VII.** Septimus. Quæ sint summa Dei dona
præ cæteris omnibus appetenda, nempe Gra-
tia Dei, & pax cordis, seu conscientie. Et-
enim si Deum habeamus nobis propitium,
& de

& de ipsius in nos favore cœlesti simus certi:
 quid desiderabimus amplius? Siquidem
 ipse nobis esse poterit ἀντάρκεια & bonorum
 omnium plenitudo: quin merces magna ni-
 mis, Genes. 17. ut fidelium quisque possit di- P sal. 73.
 cere: Si vel te solum habeam, non curo quic-
 quam in cœlo aut in terra. Et cum Paulo:
 Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui pro- Rom. 8.
 prio filio non pepercit, sed pro nobis omni-
 bus illum tradidit, quî fieri possit, ut non
 unâ cum illo omnia nobis donet?

Octauus. Quòd Deum Paulus Patrem VIII,
 nostrum nominat: de immensa cunctisq;
 Angelis & hominibus ineffabili Dei φιλαν-
 θεωπία nos edocet, quam plenis quasi cata-
 ractis in Christo super nos ita effundit, ut
 non dedignetur noster appellari Pater, di-
 cente ipso quoq; Christo: Ascendo ad Patrem Ioan. 20.
 meum, & Patrem vestrum, Deum meum,
 & Deum vestrum. Quæ res & omnem
 mundanam dignitatem altissimè supergre-
 ditur, & simul in nobis filialem fiduciam
 confirmat clamandi: Abba Pater, sicut Rom. 8.
 Christus Orationis præscripta formula pre-
 cari nos docuit.

C SECVN-

SECUNDA PARS

GRatias agere debemus Deo &c.)
 Orditur ex suo more Epistolam à gratiarum actione, plena spiritualis letitiæ, super felicissimo profectu Thessalonicensium in fide & pietate. Caterum in ea eximias illorum laudes priore quoque Epistola celebratas, hic vera constantique narratione repetit, tum ut benevolentiam eorum capteret, tum ut calcari illis addat, quò in hoc religiosæ pietatis stadio curriculoque ad metam usque strenuè decurrant. Hanc porro gratiarum actionem debitam esse innuit, propter antegressa beneficia: Debemus, inquit, gratias agere, & par est, ut gratias agamus. Cui? Deo, omnis scilicet boni in vobis auctori & consummatori. Et quidem non semel atque iterum, sed semper ac indefesso quodam studio.

Quid verò est illud, quod in Apostolo ardentem ad eò gratiarum actionem ciere poterat? Hoc videlicet: quòd vehementer augefcit fides vestra. Id verò est, cuius non sine summa celebratione diuinæ bonitatis meminisse possum, videlicet, quòd fides, quam

in

*in Iesum Christum ex Euangelij doctrina
concepistis, in vobis non friget, non languet,
non infirmatur, sed augetur, et quidem non
leuibus incrementis progreditur, sed ma-
gnis auctibus & profectibus in maius sub-
indè surgit.*

*Deinde non solum in fidei doctrina pro-
ficitis egregie, verum etiam in Charitate:
exuberat quippè mutua vestra omnium
charitas, cuiusq; in alterum. Quae secun-
da est virtus cardinalis Christianorum, fi-
dem immediatè consequens, eiq; in diuiduo
quodam nexu iuncta copulataq;. Eam di-
cit esse mutuam & reciprocam cuiusq; in al-
terum.*

*Et has quidem virtutes sic ait in illis
creuisse, ut de hoc illorum amplissimo fœ-
licissimoq; progressu in religiosa fide et Chri-
stiana charitate publicè gloriari minimè
vereatur. Quibus duabus virtutibus ter-
tiam insuper adiungit, ipsam quoq; Christi-
anis hominibus apprimè dignam & neces-
sariam, Patientiam videlicet: quæ eniteat
in illorum certaminibus & persecutioni-
bus forti hæctenus excelsoq; animo toleratis.*

C 2 Sicut

Sicut enim in Philosophia Morali Fortitudo non nisi periculi, velut obiecti sui, consideratione describitur: Sic in Theologia, Tolerantia citra sensum & experimentum afflictionis putatur nulla. Itaq; laudat Diuus Paulus, quòd sint tolerantes earum persecutionum, quas in ipsos ex Christiana Professionis odio quodam ciet ac mouet mundus Mundiq; huius præpotentes persecutores ac Tyranni.

Quod addit: Documentum (ἐνδειγμα) iusti iudicii Dei: id ad Thessalonicensium consolationem accommodat, ostendens, esse ipsorum afflictiones certum & infallibile argumentum seu Demonstrationem potius futuri Iudicij. Siquidem Deus iustus cum sit, pro suæ Iustitiæ ratione aliquãdo rerum humanarum inuersam fabulam illam sit in suum ordinem rectumq; statũ redacturus.

Atq; hac occasione nunc descendit ad principalem (huius quidem capituli) statum, qui est de Patientia in persecutione. Vbi directè quidem hoc agit, vt in Thessalonicensibus laudet ac commendet præteriti temporis memorabilem constantiam: Obliquè autem

tem

tem simul quoddam calcar subdit, ut & porro infractis animis perferant afflictiones ob professionem Veritatis expectandas. Cuius sue propositionis, obscurius aliquantò posita, rationes mox assignat. Atque inter has, primam hanc, quam modò attigit brevibus, mox autem explicatiùs evoluet & illustrabit, sumptam scilicet à retributione futura in die iudicij, cuius signum esse dicit afflictiones piorum.

Huic porro rationem subiungit aliam ab afflictionum fine: quam his verbis est complexus: quas (afflictiones) sustinetis, in hoc, ut digni habeamini regno Dei.) Quasi dicat: Rectè & utiliter facitis, ô vos mei Thessalonicenses, quòd afflictionum impetum illum sustinetis fortiter. Quandoquidem huius vestræ Tolerantiæ finis, ut nobilissimus, ita longè saluberrimus est, huc nimirum tendens, ut Dei Regno digni habeamini. O ergo vos beatos Dei Confessores atque Martyres, quorum afflictio & exigui temporis pressura tam salutari fine clauditur, & ad metam decurrit tam præolaram tamq̃ optatam.

I. CAP. POST. EPIST.

Est autem huic ostensa modo rationi intertexta alia quoque, sumpta à Dei consilio & modo introductionis in vitam aeternam, hoc sensu: Deus neminem beato Regno suo dignum aestimat, nec cuiquam illud decernit aut disponit, nisi propter Euangelij doctrinam, cum usus postulat, patiatur aliquid: Sicut nemo corona seu brabeo censetur dignus, nisi prius in arenam descendens cū aduersario depugnarit, eumque deuicerit. Ergo laudandi estis, qui hoc Dei consilium, hunc ordinem secuti, in hoc seculo prius sub tribulationum certamine desudandum uobis dimicandumque arbitramini, ut deinde tanquam probati spectatique milites coronemini.

Antequam autem in Textus enarratione progrediamur, ^{quædam} quaedam hic occurrunt dissoluenda. Etenim cum dicat Apostolus, Thessalonicenses perferre huius Mundi aduersitates, in hoc, ut digni habeantur Regno Dei: non iniuria queritur, anne ergo sua in afflictionibus. equanimitate et patientia Regno illud Dei mereantur? Respondeo: Non agunt Apostoli verba de vlla dignitate meriti. Etenim si de meriti dignitate queratur, certum est

est, omnibus nobis aliud deberi nihil, quam
 perpetuae mortis et damnationis stipendiū.
 Adhuc, quī, obsecro, possint afflictiones no-
 strae meriti ratione esse dignae caelesti regno
 vitae aeternae? cum ipsemet Paulus inter affli-
 ctiones praesentes, & regnum Dei, nullam Rom. 8.
 uspiam esse cōparationem asseueret? sed ra-
 tione meriti, dignitatis, valoris, atq; precij,
 inter utrumq; discrimen & interuallū con-
 stituat infinitum planè & immensum? Nam
 Corinthijs scribens, afflictiones huius seculi 2. Cor. 4.
 dicit esse breues et momentaneas: at verò glo-
 riam, qua pensanda illae erunt, aeternam. Af-
 flictiones item leues pronunciat. Cui aduer-
 sitatum leuitati aeternum pondus gloriae
^{et vti deo} opponit. Ideoq; Ro. 8. concludit, scire
 se, quòd afflictiones huius temporis non sint
 pares ad gloriam, qua reuelanda sit erga nos.
 Cum itaque in dignitate meriti requiratur
 iusta proportio, inter id, quo dicimur mereri
 quippiam, & inter id, quod meriti loco nobis
 annumeratur (qua proportio hic locum pla-
 nè habet nullum) quidni in vōtos dissipatur
 illud, quod Pontificiae fecis Doctores Schola-
 rii merito sunt commenti?
 Sed

Sed dicas: quomodo ergò intelligendum illud Pauli de dignitate Christianorum, qua digni habeantur Dei Regno, & vita beata altera? Hic perspicuè respondemus, non negari à nobis, quòd & hic, & Luc. 20. Scriptura quosdam dignos vita aeterna pronunciet. Verùm digni illi sunt non dignitate propria sua, sed Christi dignitate atque merito. Deus enim est, qui nos in Christo Iesu dignos fecit & idoneos ad participationem sortis sanctorum in lumine, Coloss. 1. Digni igitur habentur vita aeterna, quos Deus ipse per & propter Filij sui meritum pro dignis misericorditer reputat per fidem.

Quod verò ea vocula Dignitatis ad persecutionum tolerantiam videtur transferri ab Apostolo: tenendum, id non alia fieri ratione, quàm probationis & declarationis respectu. Quemadmodum enim Lydius Lapis nō facit aurum, sed probat aurum, & declarat: Sic crux & afflictio nō efficit nos dignos seculo altero, sed probat, simūsne digni vel secus. Et quando constantes sub persecutionibus reperimur, tū certè Crux ea facto ipso probat, ostendit & declarat, nos esse veramini-

ra minimeq; simulata fide p̄ditos, quippè quam nulla formidine persecutionū, nullo aduersitatum periculorumue metu aut sensu excuti nobis patiamur, & proinde esse nos ex eorum numero, quos Deus in Christo pro dignis reputat.

Porro, ut ad Textus explicationem redeamus, quod addit Apostolus: Pro quo (regno Dei) & patimini: argumentum ex Honesti fontibus depromit, in hanc sententiam: Gloriosum est & cū primis honestum, non ob scelus aliquod affligi, sed pro Regno Dei, tanquam re longè omnium gloriosissima. At verò cum pro Euangelio patimini, non certè pro scelere, sed pro Dei Regno fertis opprobria. Laudabiles ergo sunt vobis & honestissima tales afflictiones.

Siquidem iustum est apud Deum, reddere his &c.) Illud ἐν δειγμα, cuius antè meminerat, seu Argumentum, cuius extremas quasi lineas duxerat, nunc amplius illustrat & explanat fusius, à proprietate Iustitiæ diuinæ certos reddens Thessalonicenses, de læta recompensatione laborum ac certaminum, quæ sustinent in hoc mundo.

C 5

Huic

I. CAP. POST. EPIST.

Huic verò ἐνδείματι, quod est de afflictio-
num premio, simul aliud attexit vel inter-
textit potius, à Persecutorum interitu dedu-
ctum & priori καὶ ἀντίθετον oppositum. V-
trumq; autem collimat ad eundem scopum,
nempe ad confirmationem Thessalonicensium,
ne graue sibi ducant exerceri tot malis
& persecutionibus, sed indubitatè sibi per-
suasum habeant, persecutionū Autores haud
impunè suam illam tyrannidem laturos, si-
bi verò non defuturum optatum patientie
premiū.

Est igitur verborum Pauli mens & sen-
tentia hæc: Nolite dubitare de compensatio-
ne miseriarū, quas pro Euangelio hætenus
experti estis. Nam etsi in hoc mundo inuer-
sa planè est rerum facies, ut vobis quidem
sustinendum sit odium Tyrannorum, &
persecutionum impetuosi turbines, vicissim
hostes Euangelicæ veritatis lati volitent,
& impunè vos affligere videantur: tamen
quia Deus, sapientissimus horum omnium
Gubernator, iniustus non est: idcirco illu-
cescet aliquando dies, cum Dei Iustitia sub
illa rerum confusione hætenus occultata, se
et.

clarissimis documentis proferet, & in ordinem rediget ea, quæ confusa prius perturbataq; fuerant, videlicet vt his reddatur afflictio, qui vos afflixerunt, vos autem ex laboribus illis ærumnarum recreemini. Hoc flagitat ipsius Iustitiæ diuinæ ratio. Ergo ne dubitate.

Cæterum hîc quærat aliquis: Nûm igitur ex debito, & iuxta suæ iustitiæ rationes tenetur Deus afflictis Christianis relaxationem præstare, aut retribuere præmium? eò quòd Apostolus iustum hoc esse confirmet?

Respondeo: D. Paulus vtrumq; dicit esse iustum apud Deum, cum vt Persecutoribus infligantur pœnæ, tum vt afflictis recreentur. Et sanè prius quod attinet, res plana & expedita est. Verè enim secundum Iustitiæ suæ Canonem Deus tyrannidem hostium Evangelij vindicat æterno exitio. Porrò præmium pro passionibus retribuendum pijs spectemus, rectè id quoque coram Deo ai esse iustum. Non quidem si absolutam Dei Iustitiam intuearis, iuxta quam nil quicquam debet nobis, dicente Paulo: Quis dedit ei aliquid prior, vt retribuatur ei? Sed

I. CAP. POST. EPIST.

Sed si spectes Dei Iustitiam, quemadmodum illa iam in Christo est misericordi erga nos affectu tineta & temperata. Vbi Deus passionum suorū pensat aeterna gloria, ex gratia sanè, & non ex debito, si videlicet ipsarummet passionum qualitatem spectes, quæ certè (ut & prius dictum) pondus aeternum illud gloriae promereri neutiquam possunt. Quatenus autem remuneratio hæc verbo Dei promissa est, nunc vi promissionis ita facta in debitum quodammodo cadit, ita ut post factam promissionem, iustum Deoq; dignum sit seruare, quæ promisit, ne veritas ipsius in discrimen vocetur.

Cum reuelabitur Dominus Iesus de caelo.) Addit Paulus notationem temporis, quando futura sit ea rerum mutatio, & in integrum restitutio, ut pijs sit benè, malè verò impijs: videlicet non in hoc mundo, qui in caliginoso est positus, sed tùm, cùm reuelabitur Dominus Iesus de caelo: quæ gloriosi ipsius aduentus est Periphrasis. Huius porrò Aduentus maiestatem commendat et amplificat enumeratione eorum, quæ in illo conspicientur & euenient diuina planè.

planè. Quorum primum est illud, quòd Christum ipsum velut ex arcana sede prodeuntem, & iudicij Tribunal occupantem introducit, cum indicat, ipsum è coelis manifestatum iri. Vbi operæpretium est obseruare, aduentum Domini Iesu, & hìc, & 1. Cor. 1. à Paulo nominari ἀποκάλυψιν seu reuelationem, quemadmodum etiam haud rarò ἐπιφάνεια seu manifestatio dicitur, putà 1. Tim. 6. 2. Tim. 4. Tit. 2. nimirum ut indicetur, eum, qui nunc inuisibiliter ad DEI dextram nobis adest, tunc fore in die iudicij manifestandum, quando iuxta proprietatem sui corporis è sublimi visibiliter in nubes descendet.

Cum Angelis potentiaë suæ) Secundum hoc est, quod ad amplificandam Maiestatem eius aduentus recenset. Adiungit enim Christo supremo Iudici velut assessores aut certè Ministros & Satellites, beatos Angelos, eosq; multitudine innumerabiles. Nec non potentissimos, quippè qui hìc Angeli potentiaë Christi propterea dicuntur, quod Christus Dominus potentiam suam per Angelorum Ministerium exerit & declarat,

clarat, dum illis ceu virtutis suæ admini-
stris in executione operum suorum utitur.

Cum incendio flammæ.) Non parum
Maieſtatis conciliabit apparitioni Domini
Iesu, plurimum etiam terroris afferet impio
& ſecuro mundo, quòd veniet Dominus
cum flammâ incendio, quo iuxta D. Petri
2. Pet. 3. exegeſin liqueſcent Elementa, exuretur Or-
bis terra, unâ cum operibus, quæ in illo ſunt,
cæli ipſi ingenti cum fragore tranſibunt, ad-
eòq; uniuerſa huius aſpectabilis mundi ma-
china fatali illo incendio conflagrabit.

Qui infliget vltionem his, qui non no-
uerunt Deum.) His & ſequentibus ex-
tollit magnificentiam aduentus Chriſti, per
ampliſicationē à fine, eòq; duplici. Quorum
prior eſt, vt puniat impios: Alter, vt glorifi-
cetur in pijs, eoſdemq; viciffim glorificet. De
priori ſic diſſerit: qui infliget vltionem
&c.) Dixerat prius, Deū redditurum affli-
ctionem his, qui affligant pios: id nunc ali-
quantò plenius expoſiturus, utrumq; mem-
brum, ſubiectum ſcilicet ac prædicatū illius
propoſitionis (qui affligunt vos, afflictio-
nem accipient) explicatius proponit. Per-
ſecuto-

secutores enim illos duobus hisce describit signis: Primò, quòd non nouerunt Deum. Deinde, quòd non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi. Prius fidem et notitiam Dei derogat illis, vicissim ignorantiam eis (sed affectatã) tribuit. Posterius exprimit contumaciã illorum, quã resistunt Euangelio, & omnia potius ex imis sedibus comouere satagunt, quàm ut collum Euangelio submittant. Cuius inobediẽtiæ turpitudinem ob oculos statuit, iniecta mentione Autoris Euangelicæ doctrinæ, indicans, illos obsequium detrectãsse non homini, sed Deo.

Sed & prædicatum propositionis, quam dixi, dilucidius euoluit, amplificans afflictionem, quæ tanq̃ debita infidelitatis et inobediẽtiæ merces impijs sit expectanda. Appellat. n. illam interitum æternum: sc. æternitatis voce in immensum exaggerans perhorrescendũ exitiũ reprobõrũ, quod non duret horas paucas (ut supplicia huius mundi) non aliquot annorũ spatio finiatur, non plurimorum seculorũ periodo curriculoq̃ terminetur, sed in infinitã usq̃ sempiternitatẽ duret absq̃ omni fine, absq̃ liberationis spe ulla.

Non

I. CAP. POST. EPIST.

Non solum autem à perpetua duratione supplicium impiorum amplificat, verum etiam ab eiusdem gravitate & magnitudine. Siquidem pœnam eam passuri sint reprobi à facie Domini, & gloria fortitudinis illius, hoc est: Etsi illi à paterna propitiâq; Dei facie penitus erunt reiecti & reprobati: non tamen sic ab eis aberit Dominus, quin tremendam ipsius Maiestatem sibi nimium presentem, etiam in ima gehenna persentiscant. Sentient faciem Dei sibi non lucere amabili fulgore gratiæ, veluti pijs lucet, sed irato aspectu nil nisi horribilem indignationem ipsius minitari. Sentient robur infinitæ fortitudinis Dei, cuius intolerabili pondere longè prementur grauius, quàm si vastum terrarum orbem cervicibus suis impositum haberent.

Cùm venerit, ut glorificetur in sanctis suis.) Hic alter finis est aduentus Christi, respectu piorum & fidelium, qui & ipse ad commendationem summæ Maiestatis ipsius facit plurimum. Veniet Dominus non tantum, ut reddat his, qui affligunt vos, afflictionem, sed insuper, ut vobis requiem optatam

optatam conferat, & glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus. In hoc enim ceu cardine voluetur aeterna beatitudo fidelium, quod perpetuis laudibus admirandam bonitatem Dei & Domini Iesu Christi celebrabunt, atq; sic glorificando Deum, ipsi hinc aeternam gloriam percipient. Cuius mutuae & reciprocae glorificationis letum initium in die iudicij factum & exhibitum, nullis unquam seculis amplius interquiescet aut conticescet. Addit autem: quod fides habita sit Testimonio nostro erga vos in die illo. Quibus tacita haec includitur antithesis: Sicut illi sua inobedientia sibi aeternas pœnas accelerant: Sic electi, qui Testimonio sanctorum Apostolorum, seu Evangelicæ Concioni de Christo fidem habuerunt, sentient in die novissimo fructum fidei suæ nec pœnitendum neq; perituum, videlicet glorificationem reciprocam illam Dei & electorum, de qua modo dixerat.

LOCI COMMUNES:

Primus. Gratiarum Actio Divi Pauli I.

D monet,

I. CAP. POST. EPIST.

monet, esse magnoperè letandum, Deoq̄, sol-
uendas gratias, si quando sermo Domini
currit, & in cultu pietatis atque fidei homi-
nes incrementa sumunt. Quod in primis
hunc Apostolum accurata diligentia fecif-
se animaduertimus, sicut omnium Episto-
larum ipsius Eucharistica loquuntur Exor-
dia: in quibus Deo & Domino Iesu Christo
humilimas agit gratias, quòd Christiano-
rum fides toto mundo depradicetur, quòd
ditati sint in omnibus, nec ullo destituantur
dono ad salutem necessario, quòd omni be-
nedictione spirituali in cœlestibus locupleta-
ti, quòd exuberent in fide omniq̄, intelligen-
tia, quòd succrescant in agnitionem Dei, &
in omni opere bono fructificent. Eodem igitur
animo & nos erga fœlicem & expedi-
tum Euangelicæ doctrinæ cursum affectos
debet.

II. Secundus. De vero Christianorum
cultu, qui ferè duabus hisce partibus conti-
netur, ut videlicet precemur à Deo, quibus
indigemus: laudemus illum & gratias aga-
mus super his, quæ benignitate ipsius obti-
nemus: quin imò super omnibus, ut Ephesios
suos

suos hortatur Apostolus. Atq; hic sanè cultus non ex rerum suapte natura indifferentium est numero, sed debitus est, & ex debito persolvendus. Quod subindicare voluit D. Paulus, cum scribit, se DEBERE gratias Deo agere, & PAR ESSE, ut id faciat. Debitus autem est, cum ob mandatum Dei, Psal. 50. tum quod ipsa pietas, rei q; summa æquitas, nempe magnitudo beneficiorum DEI ad gratitudinem nos suo quodam iure obstringit. Unde tanquam homines enormiter impij gravissimis concionibus Prophetarum & Christi accusantur, qui hoc sacrificium laudis & gratiarum actionis supremo benefactori Deo solvere detrectant, Deuter. 32. Psal. 78. Esai. 1. Matth. 11. & 23.

Tertius. Edocemur Apostolica laudatione, qua suorum Thessalonicensium profectum celebrat, non esse seu gentis alicuius, seu hominis laudem ullam maiorem, quam si in fide & pietate salutare faciat progressus. Quæ res maius illi decus & ornamentum affert, quam omnia omnium Imperatorum huius mundi trophæa & monumeta. Ideoq; tanto etiam intervallo Spiritus S. Ecclesiam

Dei à cunctis reliquis in orbe gentibus & nationibus disspescit, ut cum tenebræ reliquum orbem incredularum nationum sint complexæ, super Ecclesiam tamen fulgeat Lux Dei, & oriatur Sol Iustitiæ, Iesus Christus: haud aliter, ac Aegyptios olim palpabiles affligebant tenebræ, Israëlitis autē in medio Aegypti commorantibus grata fulgebat lux. Sicut de gentibus in tetra & atra caligine mortis ambulantes legitur, quod Euangelij prædicatione, nova quædam lux è densissimis tenebris eis sit orta. Quod incomparabile decus & beneficium nostris etiam Ecclesiis cum obtigerit: operam demus, ut verbis factisq; simus grati. Fiet autem id tum, cum abiectis operib. tenebrarum tanquam filij lucis ambulauerimus, Roman. 13. Philip. 2.

IIII. Quartus. Porrò eadem verba Pauli commonefaciunt nos, ut ante omnia fide seu fiducia in Dei misericordia Christi q; Saluatoris merito acquiescente simus præditi, quippè quam in Thessalonicensibus augescere tantoperè letantur Paulus, Silvanus & Timotheus. Et quidem non iniuria. Etenim

Fides

Fides omnium ceterarum virtutum perfe-
 trix est atq; Colophon. Absq; fide nec perso-
 na placet Deo, Hebr. 11. nec opera, quoniam
 quicquid ex fide non est, peccatum est. Absq; Rom. 14.
 fide nec nostra nobis cōstare potest Iustifica-
 tio, quam in fide, apprehendente Patris cœ-
 lestis gratiam, Filijq; meritum, verti &
 volui, Paulus locuples nobis testis est, Ro. 3.
 & 4. & alibi. Quoniam ergo tam est ad sa-
 lutem necessaria fides, ea verò non omnium
 est, sed Dei donum, Phil. 1. 2. Thess. 3. Deum
 oremus, ut fidem in nobis accendat, & in e-
 adem nos confirmet, Marc. 9. Luc. 17. Me-
 ditatione quoque verbi & usu Sacramen-
 torum, velut affuso oleo, hanc flammam fi-
 dei alamus, atq; sic lampadem nostram sub-
 inde habeamus instructam, Matth. 25. Vi-
 temus peccata, opera carnis, quæ, Paulo te-
 ste, fidem extinguunt, hominemq; cælestis
 Regni exortem reddunt, Galat. 5.

Quintus. Sed & charitati diligentem
 demus operam. Per hanc quippe fides est ad
 proximum ἐνεργεῖν, Gal. 5. Sine qua etiam
 fides non est vera fides, sed fidei inanis um-
 bra quædam & vana persuasio, Iacob. 2. Ea

I. CAP. POST. EPIST.

porrò sit (ut in Thessalonicensibus erat) mu-
tua & reciproca, ut alteri alteros eodem af-
fectu charitatis prosequantur, Phil. 2. Sit
fraterna, Rom. 12. sit vera & non simulata,
2. Cor. 6. posita non in verbo aut lingua, sed
opere & veritate, 1. Ioan. 3.

VI.

Sextus. De afflictionibus piorum, quæ
crebræ sunt, & quotidiana: sicut scriptum
Psal. 44. est: Propter te morti tradimur tota die, ha-
Rom. 8. bitum sumus velut oves destinatae mactationi.
Satanas enim & Mundus indefesso conatu
studioq; in exitium piorum sunt intenti.
2. Tim. 3 Hinc rectè Paulus: Quicumq; in Christo Ie-
su piè volunt vivere, persecutionem patien-
tur. Qua de re Saluator integras ad discipu-
los suos conciones habet, Matth. 10. 24. Luc.
14. Ioan. 16. Atq; hæ Tribulationes piorum
predicuntur à Spiritu sancto, ut cum illæ e-
ueniunt, ne turbemur aut offendamur. Ideò
ne miremur, dum per ignem exploramur,
1. Pet. 4. sed sciamus, easdem afflictiones, nostræ, quæ
1. Pet. 5. in mundo est, fraternitati consummari, ut
D. Petrus loquitur: atq; hunc ab initio fuis-
se, etiamnum esse, ac fore posthac usque ad
mundi finem, cursum Ecclesiæ Dei.

Septimus

Septimus ergo locus est ex priore ma-
 nans de Tolerantia & perseverantia sub VII,
 cruce afflictionum & persecutionum, ne
 pij magnitudine aduersitatū, palmam sibi
 interuertit, vel à pia sanctaq; confessione ve-
 ritatis se deijci patiantur. Non enim qui cœ-
 pit credere, postea verò deficit rursus, sal-
 uatur, sed qui in fide perseverat vsque ad fi-
 nem, Matth. 10. & 24. Sicut non qui cœpit
 currere in stadio, at in medio cursu deficit,
 sed qui omisis omnibus impedimentis ad
 metam vsque decurrit, præmium sui laboris
 accipit, 1. Cor. 9. Eam porrò patientiam con-
 firmet in nobis proposita spes retributionis.
 Cuius cōsideratione Thessalonicenses aduer-
 sa quæuis subire ac sufferre propter nomen
 Christi minimè dubitabant. Quam spe-
 ctans Moses iam grandis factus renuebat
 vocari filius filia Pharaonis, potiùs eligens
 simul malis affici cum populo Dei, quàm Hebr. 11.
 temporarijs peccati commodis frui, maiores
 arbitratus diuitias probrum Christi, quàm
 Aegyptiorum thesauros. Respectum enim
 habebat remunerationis, inquit Apostolus.
 Ad hanc respicientes Propheta & Apostoli,
 D 4 & be-

& beatorum Martyrum innumera myriades, maluerunt sanguinem suum profunderi, quàm Euangelij doctrinam abnegare. Sciebant enim in cœlis sibi repositam mercedem copiosam, Matth. 5. coronam illam vitæ & gloriæ, ad cuius incomparabilem magnificentiã nullæ tribulationes huius temporis comparari possent, Rom. 8. 2. Cor. 4. Sicut hæc beata retributio promittitur Matt. 5. 10. 19. Luc. 22. Ioan. 16. 2. Tim. 2. Heb. 6. & 10. Apoc. 2. 3. 7.

VIII, Octauus. Quod scribit Paulus, Thesalonicensis pati, in hoc, ut digni habeantur regno Dei: monemur de modo, ordine, ac processu, quo Deus nos introducit in vitam

Luc. 22. alteram. Neque enim aliter Regnum suum

Luc. 24. disponit nobis, quàm filio, quem pati voluit,

atq; sic ingredi regnum suum. Ita quoq; per multas tribulationes oportet nos ingredi regnum cœlorum. Act. 14. sicut scriptum

2. Tim. 2. est: Nemo coronatur, nisi legitime certauerit. Et rursum, Certus sermo: Nam si commortui sumus, et conuiuemus: si sufferimus, et conregnabimus. Proinde si volumus cum Christo viuere, moriamur cum eo: Si placet

cum

cum eo regnare, patiamur cum illo: Si desideramus fieri consortes regni, simus etiam consortes patientiæ & afflictionum eius, Ap. 1. Si ornari cupimus corona gloria, gestemus cum eo coronam spineam illam ignominia. Sic conformabimur imagini ipsius, tum in cruce, tum verò etiam in gloria, Rom. 8.

Nonus. De iudicio nouissimo, cuius do- IX,
 cumentum, indicium, & testimonium est
 pressura, anxietas & afflictio fidelium: nec
 non confusus ille mundi status, et iniqua re-
 rum conditio, quòd videlicet affliguntur
 pi, regnant & florent impij, omnisq; generis
 contumelijs & iniurijs premunt electos.
 Quæ tentatio haud sanè mediocriter exer-
 cet & percellit fideles: ut de Iobo, Assapho, Iob 21.
 Ieremia, & alijs Scriptura sacra testatur. Psal. 73.
 Econtra impij hinc indurantur, & confir- Iere. 12.
 mantur in impietate sua. Sed contra hoc of-
 fendiculum utraq; manû tenendum illud
 Pauli, quòd asserit, hanc scenam mundi in
 die iudicij sic esse inuertendam, ut qui affli-
 cti fuerint, relaxationem percipiant: qui ve-
 rò afflixerunt electos, tormentum & lu-
 ctum sentiant. Sicut in diuite Epulone quo-

que & Lazaro, Christus illam rerum mutationem ostendit. Et Sapient. 5. hac de re elegans locus habetur. Itaque, qui affliguntur ob iustitiam, obfirment animum in aduersitatibus, scientes, non iniustum esse Deum, ut obliuiscatur operis & afflictionis nostrae, sed acceleraturum esse iudicium, ubi plena liberatio filiorum Dei futura sit, ad quam omnis creatura congemiscit, Rom. 8.

X.
Decimus. De nouissimo iudicio Orbis. Cuius illustre testimonium nobis subministrat pericope Paulini textus modo enarrati. Ac sanè de hoc iudicio Deus indè ab Orbe condito testificatus est, per sanctos suos Patriarchas: maximè verò per septimū illum, ab Adamo, iustitiæ præconem, Henochum, dicentem: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, ut faciat iudicium aduersus omnes, & redarguat omnes ex eis, qui sunt impij, de factis omnibus, quæ impiè patrârunt, deq; omnibus dictis, quæ locuti sunt aduersus eum peccatores impij. Cùm igitur hinc pateat, non relinquere DEVM impietatem hominum impunitam aut inultam, sed constituisse diem, in quo iudicaturus sit

rus sit orbem terrarum cum iustitia, et redditurus cuiq³ secundum opera sua: meritò Rom. 2
 nos hæc ultimi iudicij meditatio deterrere debet à peruersa cupiditate peccandi. Siqui- Math. 10
 dem nihil tam est occultum, quod tùm non reuelabitur, cum Deus illustrabit occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium. Quem terrorem (ut Apostoli verbis 2. Cor. 5. utar) scientes, demus operam, ut facibus nostris accensis, instructisq³ lampadibus Math. 25
 tanquam frugi serui, et prudentes cordatæq³ virgines Euangelicæ, nunquam non paratissimi ad diem illum, Luc. 21.

Vndecimus. Sed & de ingenti discrimine XI.
 primi & secundi aduentus Christi, Apostoli verba nos erudiunt. Primo aduentu suo apparuit Dominus, sub abiecta et, coram mundo, contemptibili specie formaq³ seruili: veniens pauper, sedens super asinam & pullum Zach. 9.
 asinæ: veniens, non ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, daretq³ animam suam redemptionem pro multis. At postremo Math
 aduentu suo veniet sublimis in nubibus cæli, cum virtute & gloria magna, Matthæi 25. sedens à dextris potentie Dei, Lucæ 22.

Ecce

I. CAP. POST. EPIST.

Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt, Apoc. 1. veniet stipatus uniuerso beatorum Angelorum exercitu. Primo aduentu non venerat, ut iudicaret seu damnaret homines, attestante ipsomet Christo, Luc. 9. & Ioan. 3. Nouissimo autem aduentu veniet ut Iudex uniuersae carnis, ad liberandum sanè suos, ad puniendum autem eos, qui neque nouerunt Deum, neque verbo Euangelij obsecundant. Quare laboremus participes fieri virtutis & efficaciae primi salutaris ipsius aduentus, per fidem: atque sic ultimus eius aduentus nobis non erit formidabilis, sed licebit capita attollere, quòd appropinquet redemptio nostra, Luc. 21.

XII. Duodecimus. De damnatione impiorum, quae definitur illorum interitu non temporali, sed aeterno, à facie Domini, & à gloria fortitudinis illius. Ad quod supplicium damnabuntur illi per inuariabilem nullisq; seculorum seculis retractandam sententiam, Matth. 25. descriptam hisce verbis: *Ite maledicti in ignem aeternum, paratum Diabolo Math. 8. & Angelis ipsius. Vbi perpetuus ploratus erit,*

rit, & stridor dentium: ubi veniet super il- Rom. 2.
 los indignatio & ira, afflictio & anxietas: Esa. 66.
 ubi vermis eorum non morietur, & ignis Marc. 9.
 non extinguetur: ubi dicent montibus ac
 petris: cadite super nos, & abscondite nos à Apoc. 6.
 facie sedētis super thronum, & ab ira Agni,
 quoniam venit dies magnus iræ illius, &
 quis poterit stare? ubi quærent mortem, & Apoc. 9.
 non inuenient, cupient mori, sed mors fugiet Apoc. 14.
 ab eis: ubi fumus tormenti illorum ascen-
 det in secula seculorum.

Decimus tertius. Cognitio vera DEI XIII.
 quàm sit necessaria, Paulus nos docet, cùm
 scribit, ultionem infligendam omnibus, qui
 non nouerunt Deum. Hinc Saluator æternæ
 vitæ proram ac puppim collocat in cognitio- Ioan. 17.
 ne Dei, & quem misit, Iesu Christi. Infeli-
 ces igitur eos, quibus non fulget lux Euan- 2. Cor. 4
 gelij gloriæ Christi. Qui enim non nouerunt
 Deum, hi vicissim audient: Non noui vos. Math. 7.
 Totis ergo viribus enitamur ad comparan-
 dam notitiam Dei, & Christi. Eam verò a-
 liundè non addiscimus, nisi ex vno Magi-
 stro, Christo. Quandoquidem nemo nouit Math. 11.
 Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius re-
 uelare.

XIII. *uelare. Reuelat autem id in verbo Euangeli-
 ly, quod è sinu Patris ad nos protulit, Ioa. I.
 Decimus quartus. Idem hoc inseruit
 nobis ad euertendam profanam opinionem
 hominum mente corruptorum, existiman-
 tium, quemq; in sua Religione saluari posse:
 Iudæum in sua, Mahometistam aliquem in
 sua, Arianum itidem in sua, nec non Papi-
 stam, & quosuis pestilentissimos seductores
 & impostores hæreticos: dummodò illi ciui-
 lem honestatem colant, & virtutibus dent
 operam. Quam persuasionem, dubium non
 est, plurimorum hominum animis altiùs
 insedisse, quàm quisquam vel cogitare au-
 sit, vel credere possit. Sed eam Diuus Paulus
 iampridem confutauit & protriuuit, asse-
 rens, Deum inflicturum ultionem his, qui
 non obedierint Euangelio Domini Iesu, hoc
 est, qui vel alia comminiscuntur dogmata
 à patefacto Euangelio dissona & aliena: vel
 non dignè ambulant Euangelio Christi. Et
 quid opus erat Christo & sanctis Apostolis
 ipsius tam sollicita cura monere homines,
 ne se pseudodoctorum erroneis dogmatibus
 irretiri paterentur, si ea non essent fraudi
 secta-*

sectatoribus illorum, sed omninò perinde esset, quam quis religionem amplecteretur?

Decimus quintus. De gloria Electorum in seculo altero. Quæ potissimum in eo erit posita, quòd Christus (ut Apostolus hic assenerat) in nobis admirandus fiet, quando scilicet admirandas & imperuestigabiles diuitias bonitatis Christi, quarum abyssum in hac humanarum mentium caligine plenè intueri nò possumus, absolutissima cognitione, presentissimoq; aspectu semper intuebimur, neque intuebimur solum, sed eadem Christi bonitate cum sensu quodam perpetuæ beatitudinis perfruemur.

Decimus sextus. Quoniam & hoc ad extollendam Maiestatem gloriamq; Christi refert Apostolus, quòd videlicet habita est fides testimonio & prædicationi Apostolorum de ipso: discamus hinc incredibilem illum successum Concionis Apostolicæ non ut humanum opus intueri, sed ut diuinum planè suspicere & admirari. Etenim cum Mundus in idolatria Ethnica sua prorsum fuerit immersus: quibus, obsecro, quantisq; demonstrationibus opus fuisse putabimus,

I. CAP. POST. EPIST.

tabimus, ad inueteratam illam & in ipso-
rum animis altissimè defixam superstitio-
nem extirpandam? & ad persuadendam eis
Religionem aliam de Iesu quodam in Iudæa
suspensò & crucifixo, cunctis retrò seculis, a-
pud ipsos inauditam, tum quoq; rationi ve-
lut è diametro contrariam, & hominibus
naturâ penitus inuisam & inimicam? Itaq;
hoc tantum opus non hic solum celebrat, sed
etiam 1. Tim. 3. magni mysterij loco nume-
rat, ita scribens: Citra controuersiam ma-
gnum est pietatis mysterium: Deus manife-
stus carne, iustificatus Spiritu: visus An-
gelis, prædicatus gentibus, FIDES ILLI
HABITA IN MVNDO, receptus
in gloria.

TERTIA PARS.

Superest Tertia particula Capitis expli-
canda. Ea complectitur Apostoli Pauli,
& Symmistarum, Siluani ac Timothei Vo-
tum seu precationem pro boni in Thessalo-
nicensibus clementer inchoati confirmatio-
ne, & perfectò tandem complemento.

Propter

Propter quod etiam oramus semper pro vobis &c.) Sicuti gaudemus, Deoq; grates persolvimus pro letis initijs & incrementis Evangelicæ vestrae cognitionis & pietatis: Sic vicissim, memores humanæ imbecillitatis, et insidiarum Satanae, Deum indefinenter oramus, ut vos caelesti vocatione ad vitam aeternam dignos in Christo habitos, dignos etiam sub Examine Crucis inuentos & declaratos, porrò etiam potenti sua dextra confirmet, ne hac tam sancta tamq; beata vocatione excidatis unquam. Precamur illum supplicibus votis, ut compleat in vobis *πάσαν εὐδοκίαν ἀγαθώνων*, omne beneplacitum bonitatis, ut quod de vobis ad regnum suum vocandis paternè statuit ab aeterno, & iam in tempore clementer cæpit exequi: Posthac etiam misericorditer continuet, & pleno tandem complemento fæliciter omnibus suis numeris absoluat, & perficiat.

Et opus fidei cum potentia.) Meminerat modò Totius illius Boni, quod obtigit Thessalonicensibus: Nunc eius Totius principalem partem exprimit, fidem: quippe quæ
E sola,

Sola, seu manus, apprehendit & possidet omnia bona & dona spiritualia: qua permanente salua, salua & inconvulsa manet omnis nostra salutis ratio: labefactata verò & extincta eâ, protinus amittuntur universa reliqua. Orat igitur speciatim, ut opus fidei compleatur in eis, cum potentia, hoc est, ut fides in Iesum Christum potentia & virtute Dei in Thessalonicensibus ad finem usque servetur inconcussa.

Cæterum opus illam nominat, respectu DEI operantis eam in nobis: quemadmodum & Ioannis sexto, fides appellatur opus Dei, cum Iudæis respondet Dominus: Hoc est opus DEI, ut credatis in eum, quem ille misit.

Ut illustretur nomen Domini nostri Iesu Christi, &c.) Duplicem assignat finem, cuius consideratione totum illud opus salutis & fidei, omnisq; boni in Thessalonicensibus inchoati, perfici tantoperè desideret, & pijs votis exoptet. Prior finis est, ut nomen Christi illustretur per Thessalonicenses. Posterior, ut Thessalonicenses vicissim glorificentur per Christum. Atque huc tanquam
ad

ad præfixum scopum directam esse innuit suam pro ipsis indefessam precationem.

Quomodo autem glorificatur Christus per Thessalonicenses? quomodo hi per illum? Equidem hoc posterius membrum per se planum, & nullis difficultatibus impeditum est.

Quandoquidem constat, Thessalonicenses Christi beneficio renouari ad gloriam non modo pristinam, quæ in primis Parentibus ante lapsum fulserat, sed etiam consequi longè maiorem in seculo altero. Christus enim est, qui Electos suos vocat, iustificat, tandemq; glorificat. Rom. 8.

Quomodo verò Christi nomen illustratur per homines, quod iam antè sic gloriosum est, ut reddi gloriosius aut illustrius haud queat? Respondeo. Per se quidem, suiq; respectu glorificari magis, aut sanctificari ulterius neutiquam potest. Tum autem illustrari sanctificariquè, phrasi quadam scripturæ, dicitur, quando nomen illud per se, in supremo fastigio sine omni vel incremento vel imminutione sanctum & illustre permanens, iam nobis quoq; hominibus

innotescit, & tale esse (nempe sanctum & gloriosum) agnoscitur & predicatur. Proinde illustrabant Thessalonicenses Christi nomen, cum & pro salutis suae incomparabili Reparatore illum celebrabant ipsi, & exemplo suo alijs quoque occasionem dabant id ipsum faciendi. Quod ut magis magisque fiat, et totum hoc opus ad umbilicum tandem ductum perfectumque vergat ad plenariam illam glorificationem mutuam, Christi & Thessalonicensium: id verò ardentibus votis precatur & optat Apostolus, unâ cum Collegis & Symmystis suis, Silvano & Timotheo.

Addit autem: iuxta gratiam Dei nostri, & Domini nostri Iesu Christi: ut sciant, uniuersum illud praeclarum opus fidei & perseuerantiae, non suis viribus, sed Dei gratiae & misericordiae clementique operationi ipsius acceptum ferendum.

 LOCI COMMUNES.

- I. Primus. Quod Paulus scribit, se semper orare pro Thessalonicensibus: docentur omnes Christiani, ut preces fundant pro se inuicem.
- Postulat

Postulat enim id charitatis nexus ille, quo sunt colligati, flagitat mutuae fraternitatis consortium, monet intima ipsorum tãquam membrorum unius corporis coniunctio, ad eorũ cœlestium bonorum communio & indivisa hereditas, Ephes. 4. Ideo Christus etiam talem orandi præscripsit formam, qua fideles omnes omnium fidelium necessitates inclusas Deo commendarent. Et Divus Iacobus 5. requirit hoc à Christianis, ut pro se invicem precentur. Quæ preces sic coniunctæ, ipso etiam Christo teste, suum eximium habent pondus & fructum, Matth. 18.

Secundus. Inprimis autem Doctores Ecclesiarum sui admonentur officij, quibus hoc ex pastoralis cura, peculiariter ipsis delegata, incumbit, ut pro grege sibi commissio, precibus etiam suis, excubent, suosq; Auditores velut in suo pectore gerant, ut olim Sacerdos summus Israëlitarum nomina super Pectorali. Quemadmodum Divus Apostolus in omnium Epistolarum suarum exordijs sanctè testificatur de precibus suis, quas fundat pro Christianis. Atq; inprimis de Philippensibus suis ait, se in corde suo habere

bere illos, & desiderare eos in visceribus Iesu Christi, Philip. 1.

- III, Tertius. Paulus orans, ut compleatur in Thessalonicensibus propositum bonitatis, ostendit ac docet, nequaquam esse satis, si quis cœperit in Christum credere: sed requiri finalem in fide perseverantiam, & hanc indefinentem curam, ut excusso veterno Phil. 2. Christiani salutem suam in timore & tremore operentur, nec palmam sibi interverti sinant, sed ad ultimam usq; metam indefesso quodam cursu contendant. Qua de re geminam similitudinem Apostoli 1. Cor. 9. de Athletis & cursoribus observa. Et Phil. 3. Pauli exemplum coniunge, qui dicit: Vnum illud ago, ea, quæ à tergo sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ à fronte sunt, enitens, iuxta præfixum scopum insequor ad palmam vocationis DEI per Iesum Christum. Qui autem deficit rursus, & se subducit, is non Hebr. 10 probabitur animo meo, dicit Dominus: quin omnis prioris iustitiæ ipsius nulla amplius habebitur ratio, Ezech. 18.

IIII. Quartus. Cùm igitur perseverantia nobis sit opus, discimus & admonemur Apostoli

apostoli verbis: Vbi donum id querendum:
 videlicet non in nostris viribus, sed in po-
 tentia & virtute DEI. Paulus enim hæc o-
 mnia Thessalonicensibus à Deo precatur, ut
 ipse compleat omne bonum propositum, &
 opus fidei cum potentia. Sic Phil. 1. ait: Per-
 suasum habeo, quòd is, qui cœpit in vobis o-
 pus bonum, perficiet ad diem Iesu Christi.
 Similiter: vobis donatum est pro Christo,
 non solum, ut in eum credatis, verum et-
 iam, ut pro illo patiamini. Et rursus:
 DEVS est, qui agit in vobis, ut & velitis
 et perficiatis pro bono animi proposito. Hinc
 Petrus virtute Dei nos per fidem ad salutem
 custodiri scribit. Ita Dei misericordia præ-
 cedit & sequitur nos, estq; omnis nostra sa-
 lutis a & o. Proinde ne fidamus viribus
 proprijs, quæ impetum Satanae sustinere ne-
 queunt, ut historia lapsus Petri declarat:
 sed à DEO petamus, qui etiam petentibus
 certò donum illud perseverantiæ largietur,
 Lucae II.

Philip. 2.
 1. Pet. 1.

Quintus. Pulchrè etiam nos commone-
 facit Paulus de fine ultimo actionum no-
 strarum omnium, qui est gloria & laus Dei,

I. CAP. POST. EPIST.

ut in omnibus laudetur Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi. Qui hunc in agendo scopum sibi propositum habet, is cauebit sibi à cunctis ijs, quæ hanc gloriam diuini Numinis & Nominis obfuscare possint. Cuiusmodi sunt peccata omnia, præsertim atrocita illa, quæ scandala pariunt, ob quæ nomen Dei malè audit inter incredulos, sicut scriptum est, Rom. 2. vicissim sinet lucem suam lucere, ut per opera bona glorificetur Pater, qui in cælis est.

Matth. 5.

VI.

Sextus. Inprimis autem de fine æternæ salutis fidelium erudimur, qui itidem est, Apostolo annotante, ut illustretur nomen Domini nostri Iesu Christi, coram tota scilicet tum Angelorum tum beatorum hominum Ecclesia. Sicut enim ab ipso incipit salus nostra, sic supremus salutis nostræ finis in eundem tendit ac credit, ut diuitiæ bonitatis ipsius hinc agnoscantur, & nomen eius perpetuò celebretur. De quo fine vide in Epistola ad Ephes. cap. 1. & 2.

VII.

Septimus. De perfectione totius Corporis mystici Ecclesiæ in vita beata, quæ consistit in mutua illa glorificatione Christi & Electo-

Electo-

Electorum omnium, ut hi per illum, & per hos ipse (suo, ut expositum est, modo & ratione) perpetuò glorificetur. Sic consummata erit, & in orbem atq; circulum perfectionis redacta gloria Ecclesiae uniuersae, totumque Corpus reductum ad absolutam beatitudinem: ita tamen, ut etiam in illo fastigio perfectionis, incōparabiliter emineat Christus in throno Maiestatis, ad Dei dextram sedens. Quod ut Angelis non obtigisse scribit Autor Epistolae ad Hebræos: sic neq; hominibus obtinget: tametsi ex hoc aspectu Maiestatis Christi & gratiosa κοινωvια beatitudinem ipsi quoque percipient inenarrabilem, dicente ipsomet Salvatore: Pater uolo, Ioan. 17. ut ubi sum ego, sint et hi, quos dedisti mihi, (scilicet in eodem Regno beatitudinis, non autem in eadem dextra Maiestatis) ut uideant gloriam meam, Ioan. 17.



Cap. II.

Argumentum.

Thessalonicenses grauitè obtestatur Paulus, ne sibi vlllo pacto persuaderi finant, im-

E 5

media-

II. CAP. POST. EPIST.

mediatè iam & planè pro foribus esse diem Domini. Præcessuram enim defectionem à fide horrendam sub Antichristo, cuius non modò Regnum & primatum describit graphicè, sed etiam, quibus artibus ille eò Maieftatis ascensurus esset, meminit. De patefactione quoq; ipsius & abolitione concionatur, & causam assignat hominum ingratitude, qua motus Dominus tam tristem seductione orbis sit permissurus. Vicissim Deo gratias agit pro vocatione Thessalonicensium ad Regnum Christi, & vt in eo bono perstent, submonet: ipse quoq; suum pro hac re votum addit.

Partes Capitis principales sunt tres. Prima propositionem continet, ne statuant, iam iam quasi capitibus & cervicibus suis imminere Aduentum Domini. Secunda est vaticinium de Antichristo. Tertia est gratiarum actio pro dono Thessalonicensium Ecclesie concessò, vnà cum voto subiuncto.

PRIMA PARS.

Vt ad explicationem primæ partis inoffenso pede progredi valeamus, obstaculum quoddam remouendum prius, & diluenda obiectio est. Nam mirabitur quispiam: D. Paulum hortari Thessalonicenses, ne credant, instare diem Domini, cum ceteri Apostoli

stoli omninò hoc agant, ut persuadeant sui
 quoq; seculi hominibus, imminere diem ad-
 uentus Christi. Ioãnes enim scribit suo tem-
 pore: Filioli, nouissima hora est. Et Iacobus 1. Ioan. 2.
 capite 5. Patientes, inquit, estote, & con-
 firmate corda uestra, quoniam aduentus
 Domini appropinquat. Filius Dei ipsemet
 Apoc. 22. dicit: Etiam venio citò. Quin-
 imò ipse Paulus videtur hoc velle, quando
 Corinthijs scribens, ait: Hæc scripta sunt 1. Cor. 10
 propter nos, in quos termini ætatum incide-
 runt. Et priore ad Thessalonicenses ita lo- 1. Thes. 4
 cutus esse videtur, quasi nonnulli eo tempo-
 re viuentes, superstites sint futuri in die il-
 lo. Ait enim: Nos, qui viuemus & reli-
 qui erimus in aduentu Domini, haudqua-
 quam præueniemus eos, qui dormiunt. Præ-
 terea annon præstitisset hanc questionem
 suppressere potius, & Thessalonicenses in ea
 opinione relinquere, ut eò paratioribus es-
 sent animis ad excipiendum Aduentum
 Domini? Iam verò quando illum haud-
 dum venturum ait, nonne laxare videtur
 in eis timorem, qui aliàs illos in officio con-
 tinere poterat?

Vt

II. CAP. POST. EPIST.

2. PET. 1.
1. PET. 2.
1. PET. 2.
 Ut ergò de Apostolis primò respondeam: cum illi scribunt, appropinquare diem Domini, ultimam horam esse, & in sua tempora incidisse terminos etatum &c. tenendum est, ipsos spatium illud, quod à suo seculo usque ad diem Iudicij interest, nonnunquam considerare quadam comparatione ad præteritum tempus, quod Christi in carnem Aduentum antecessit. Atq; sic respectu totius illius exacti temporis, rectè Noui Testamenti Aetas dicitur hora nouissima, rectè etatum termini. Rectè etiam temporibus Apostolorum scribi diciq; poterat, appropinquare diem Domini. Siquidem reliquum id tempus usq; ad consummationem mundi exiguum est, si compares cum præterlapso, exiguum est, si respectu Dei consideres, coram quo mille anni sunt velut dies unus.

Psa. 90.
 2. Pet. 3.

Et quidem iuxta hanc considerationem, imitantur illi phrasin Spiritus sancti, qui etiam in Prophetarum scriptis totum id tempus Noui Testamenti seu Regnantis Christi, nouissimos dies appellat, si quando de gentium uocatione differit: quam scribunt Propheta fore diebus nouissimis, & tamen id

Esa. 2.
 Mich. 4.

sub

sub initium Noui Testamenti completum,
ex Apostolorum scriptis nouimus.

Deinde autem considerant Apostoli nonnunquam tempus Noui Testamenti, quod terminis utriusq; Aduentus Christi includitur, non comparatè, sed ut per se spectatur, ipsum quoq; in suas diuisum partes, non aliter, ac hora in suos quadrantes.

Quapropter, ut ad institutum redeam, indicat Apostolus, suo illo tempore (quod ceu primus quadrans erat horæ illius nouissimæ) haud dum imminere Domini aduentum: sed interuenturum quippiam, quod aliquot sit duraturum seculis. Atq; sic iuxta duplicem hunc respectum considerata Apostolorum voces et testimonia neutiquam inter se pugnant.

Ceterum quòd Paulus 1. Thess. 4. scribit: Nos, qui uiuimus, & reliqui erimus in aduentu Domini, non praueniemus eos, qui dormiunt, &c. non hoc vult, quòd vel ipse, vel ullus eorum hominum, qui tùm uiuebant, futurus esset superstes in Aduentu Christi, sicuti quidem nonnulli Thessalonicensium videntur intellexisse: Sed quia de
cœtu

II. CAP. POST. EPIST.

cœtu fidelium hic agit: ideò propter arctissimam illam communionem, & coherentiam mystici corporis, κατὰ κοινοποίησιν, seu per Communicationis figuram ita loquitur, eò, quòd Electi sint unum omninò corpus spirituale, ut quod uni membro euenit, id ipsum & cæteris euenire videatur.

Porro, quòd Diuus Paulus animos Thessalonicensium in suspenso non vult relictos, causas habuit grauissimas. Primò, quia iustum erat, Epistolam suam priorem à nonnullis circa hoc caput deprauatam explicare, & genuinum eius sensum ostendere, ne præberet errori ansam. Deinde, quia nonnulli, falsa illa persuasione inducti, dissolutiores fiebant, ut operas vocationis negligenter, & in otio viuerent: necesse fuit, hanc eis opinionem eximere. Tertio consulendum erat hac in re fidei Thessalonicensium. Si enim relictis fuissent in sua opinione, de die Domini iam tum imminente: certè quando deinde diem illum differri de anno in annum, de seculo in seculum, vel ipsi, vel eorum posteri, re ipsa deprehendissent: haud mediocriter in fide sua fuissent perturbati.

bati, ut de doctrina Apostolorum, circa hoc, & alia capita cœpissent dubitare. Ideoq; hæc occasio fuit amputanda Satanae, ne fidem Thessalonicensium labefactaret. Quarto, quia hic ipse tractatus de Antichristo tanti est momenti, ut apud omnium temporum Ecclesiam illum extare non modo utile sit, sed etiam maximoperè necessarium: ut Antichristus ita descriptus, eò certius agnosci, eò melius vitari possit: Iccircò dubium non est, quin singulari providentia & instinctu Dei sit factum, ut sanctus Apostolus hunc locum quàm diligentissimè pertractatum Ecclesie Dei relinqueret.

Rogamus &c.) Propositio est: Nolite ijs habere fidem, qui dicunt, in foribus adesse diem Iudicij. Hanc porrò non ita nudè aut concisè proponit, sed graui seriaq; obestatione figuratam, tum verò sparsam & diductam in modos, quibus nonnulli errorem illum plausibilem reddere laborabant.

Rogamus vos fratres, &c.) Fratrum appellatione benevolentiam Thessalonicensium suorū captat, quos licet donorum mensurâ longè inferiores, tātus Apostolus fratres.
nomi-

II. CAP. POST. EPIST.

nominat, ob sincerum videlicet amorem, quo illos in Christo Iesu complectebatur. Porro non pratoria potestate dicit illis aut precipit, id, quod ipsorum intimis sensibus infixum cupit, licet habuisset ius cum auctoritate quadam iniungendi illis, tãquam Apostolus Christi. Sed rogat eos: ita tamen rogat, ut rationibus, omni humano modo maioribus, animos illorum validissimè percellat & expugnet. Nam ne quisquam inter illos neglectui habeat id, quod propositurus est: obtestatur ipsos per rem eiusmodi, quæ vel nuda sui cogitatione reverentiam incutere, & obsequendi studium & contentionem excitare possit: Nempè per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & per nostri aggregationem in illum. Quasi dicat: O mei vos Thessalonicenses, quos ceu fratres amplector, et desidero in visceribus Iesu Christi: Si vobis charus est Christus, si beatissimus Aduentus ipsius cordi vobis est, si desideratis in sanctas ipsius vlnas, in sinum, in amplexum eius aggregari, & æterna cum ipso beatitudine gloriæq; perfrui: ne recusate mihi, Apostolo vestro, de re maximè necessaria monen-

monenti cum attentas aures, tum morigeros & paratos animos exhibere.

Hisce preparabat Apostolus Thessalonicensium animos ad audiendum ea, quæ subiuncturus erat. Vbi rerum pondera videas, verbis penè tribus expressa longè maiora, quàm vlla dicendi scribingiq; vis, aut humana Eloquentia flumen vllò pacto valisset exprimere.

Quid igitur est illud, ad quod percipiendum tanta seueritate ceu quodam fulmine cingere & exuscitare nititur corda Thessalonicensium? Ne, inquit, citò dimoueamini à mente, neque turbemini, quasi instet dies Domini, hoc est, ne patiamini persuaderi vobis istam erroneam cogitationem de aduentu Christi præ foribus iam presente: ne fortè turbemini deindè, ubi animaduertetis, vos opinione vestra falli, & differri diem Domini ultra terminum, quem vos animo conceperatis.

Neq; per spiritum &c.) Enumeratio est, eorum, quorum prætextu decipi Thessalonicenses & in perniciosam eam opinionem abduci poterant, quasi sine omni ferè temporis

F inter-

interuallo in proximo adesset Aduentus Christi. Quorum omnium atq; singulorum remotione Paulus animos Christianorum sui temporis ab ea sententia prorsus vult auocatos & abductos. Primò inquit: Neq; per Spiritum. Vbi Spiritus voce intelligit reuelationes, quas aut falsò iactabant & mentiebantur fanatici seductores, aut eiusmodi reuelationes verè quidem sibi obiectas, sed ab autore Satana profectas, sub Spiritus sancti nomine atq; titulo venditabant. Deinde addit: Neque per sermonem, &c. Qua voce notat cum prædicationem pseudodoctorum, proponentium ista pro concionibus, tum quoscunque etiam aliorum hominum hac de re sparsos sermones & rumusculos. Tertio subiungitur: Neque per Epistolam, tanquam nobis autoribus. Perstringit falsas illas, fictas, & supposititias Epistolas, quæ ab hominibus impostoribus arte compositæ, sub augusto deinde sanctorum Apostolorum nomine irrepebant furtim, & Ecclesiis passim ceu per cuniculos insinuabantur.

Ne quis vos decipiat vlllo modo) E.
numera-

numerationi sua præcisionem subiungit, quâ monet, ne vel his modò memoratis, vel villo pacto modòue alio se in fraudem & errorem aliquoties iam dictum induci sinant.

LOCI COMMUNES.

Primus. Admonemur de artificio Diaboli, quòd studio deprauat rectè dicta, ut peruersas opiniones hominum mentibus instillet. Sicuti superioris Epistolæ Tractatum de Nouissimo Saluatoris Aduentu in alienâ planè sententiam per suæ vanitatis ministros detorserat. Id quod alijs etiam Epistolis Paulinis accidisse Petrus refert. Quod studium malignum in dogmatibus eò est perniciosius, quòd à luce veritatis in exitiales tenebras errorum cum fide pugnātium facile transuersi abripiuntur incircumspecti. Pro quibus ita deceptis rationem dabunt seductores illi, qui ex ingenij leuitate quadam noua cudunt dogmata, eaque deindè sacrarum literarum testimonijs pingunt & amabilia reddunt alijs: imitati scilicet Magistrum suum Satanam, qui & ipse fallendi studio in Angelū lucis se transformare solet.

F 2

Secun^o

II.

Secundus. De mirabili Dei sapientia, quæ pessima quæuis reducit ad fines optimos, & quæ in perniciem Ecclesiæ videbantur vergere, sic temperat & moderatur, ut in eiusdem bonum & emolumētum cedant. Dum enim Satanas, excitato dogmate illo de Aduentu Domini, insidias struit Ecclesiæ Thessalonicensium, hoc ipso præbetur Diuo Paulo occasio, non modò id negotium plenius explicandi, sed etiam è thesauro suo depromendi nobis & egregiè admodum illustrandi doctrinam de Antichristo maximè necessariam. Sic ex omnium temporum hæresibus Ecclesia, Deo mirabiliter gubernante, hunc saluberrimum fructum habuit, ut acueretur diligentia Doctorum, ut Articuli Doctrinæ penitus excuterentur, ut, qui re-
 1. Cor. 11. cti sunt, probarentur, & in certamine fidei
 Iud. 3. exercerentur Christiani, haud aliter, ac populus Israëliticus ex relictis in terra Chanæis & Philistæis hunc usum habuit, ut in externa tractanda militia exercitatiores euaderent.

III. Tertius. Dum Paulus de re necessaria moniturus, rogat & obtestatur suos Thessaloni-

lonicenses, lenitatis exemplum cunctis Ecclesiarum Pastoribus imitandum proposuit. Siquidem lenitate plus proficitur apud plebem, quàm acerbis obiurgationib. Seruum Dei, inquit Paulus, oportet esse placidum erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine. Item: Prædica sermonem, in sta tempestiuè, in tempestiuè, argue, increpa, exhortare. Sed addit: cum omni lenitate & doctrina. Et rursus: seniore[m] ne seuius obiurges, sed exhortare ut Patrem, iuniores ut fratres, mulieres natu grandiores ut matres, iuniores ut sorores cum omni castitate. Quin etiam seueriores conciones legales sint paterno affectu lenitatis ita tinctæ, ut pateat, omnia dici & dirigi à Ministris ad salutem auditorum suorum.

2. Tim. 2

2. Tim. 4

1. Tim. 5

Quartus. Multò autem magis hinc IIII. Dei effulget bonitas ex hac Apostolorum verbiq; Ministrorum lenitate & mansuetudine. Etenim dum ipsi tam blande & familiariter tractant homines suæ curæ fideiq; creditos: nonne Deus ipse se blandum illis exhibet? DEVS enim est, ad cuius mandatum illi hæc agunt. Quod significare vo-

II. CAP. POST. EPIST.

luit Paulus noster, ad Corinthios scribens: Super nomine Christi Legatione fungimur, tanquam Deo vos OBSECRANTE per nos, ROGAMVS pro Christo, reconciliemini Deo. Ita rogantibus nos Apostolis, Deus ipse rogat nos. Quod summum est diuinæ ipsius clementiæ & bonitatis argumentum & testimonium.

V. Quintus. Paulus obsecrans Thessalonicenses per aduentum Domini Iesu Christi, & nostri aggregationem in illum, docet, quibus in persuadendo argumentis uti debeant diuini verbi præcones, nimirum non obiurgationibus eiusmodi, quæ verborum virulentiam perstrepat, sed obtestationibus, quæ rerum pondere & grauitate Auditorum corda flectant & moueant. Qua in re

Rom. 12. insignis Artifex est Paulus, qui per misericordiam DEI, per solatium dilectionis, per communionem Spiritus, per viscera & miserationes, per Aduentum Domini Iesu Christi, qui sub Pontio Pilato bonam professionem ediderit, adeoque in conspectu DEI & Iudicis viuorum & mortuorum, grauissimè & sanctissimè passim obtestatur eos.

eos, ad quos scribit, Christianos, ut fidem illibatam seruēt, ut pietatem colant, ut charitatem sectentur, ut ea faciant, quæ Christi fidem amplexos & professos decet. Iisdem rationibus pugnent Doctores Ecclesiæ, cum suos Auditores ad pietatis officia commonefaciunt.

VI.

Sextus. Discimus ex iisdem verbis, licere in re ardua, quæ sinceritatem fidei pietatemque concernit, obtestationibus uti grauioribus: velut hic per aduentum Christi obtestatur, & penè adiurat Thessalonicenses suos Apostolus. Quas obtestationum formulas cum abominetur Anabaptistarum vulgus: suam & hic & alibi prodit hypocrisin, Camelos deglutientem, & excolantem culices. Quod etiam circa iuramenta reprobanda faciunt homines illi fanatici. Quæ tamen Apostolo Paulo in rebus arduis asseuerandis vsitatissima fuisse, ex Epistolis ipsius edoceri poterant, Roman. 1. & 9. 2. Corinth. 1. & 12. Math. 23

Septimus. Dum à Doctore & Apostolo suo Thessalonicenses, per ipsum Aduentum Domini Iesu Christi, & sui in illis aggrega-

F 4

tio-

tionem (qua nihil charius esse potuit aut debuit) tam admonetur sanctè & religiosè, ne persuasione de aduentu Christi tum iam instante animos suos imbui sustineant: qui tamen error coram rationis iudicio leuiculus apparebat: docemur isthinc, errores circa dogmata nequaquam debere floccipendi. Etsi enim sapientes huius mundi, parui eos faciunt, ideoq; sinceris Doctõrib. indignantur, quòd tanto studio ab omnibus corruptelis doctrinam vindicatam cupiunt: tamen audimus vicissim, quanti faciat Apostolus errores etiam minimos. Cui in rebus Theologicis sententiam pronuncianti meritò assurgimus & assentimur. Qui & alibi affirmat, paululum fermenti totam fermentare conspersionem. Quandoquidem per opiniones leuiiores etiam Satanas (qui longam orditur telam) insidias struit sinceritati doctrinae, dum errorem alium ex alio subinde nectit & textit. Ergò summo studio nitamur doctrinam caelestem integram & incorruptam conseruare, neq; vlla peruersa sinamus opinione cõtaminari, quantumuis eam sapietes huius mundi benè tolerabilem esse

1. Cor. 5.
Gal. 5.

esse clamitent, neque dignam, ob quam illarum autoribus & patronis contradicatur.

Octauus. Quòd eximius hic Apostolus VIII. Iesu Christi, qui in tertium usq; cœlum raptus fuit, Christianos quosuis, etiam plebeios, in Ecclesia Thessalonicensium, fratres suos nominat: discimus, quàm longè sanctum ipsius pectus abfuerit ab incredibili superbia & fastu Romani Pontificis. Gloriatu is quidem non minùs de Pauli, quàm Petri successione. Sed ò quàm falsò? Nam Pontificulus & Episcopulus ille Romanensis, qui dignus non est, ut Apostoli Pauli calceos extergat, in suis Epistolis & diplomatis ne quidem Casaream Maiestatem, nedum gregarios homines & plebeios dignaretur fratrum titulo, sed filios salutatur, non ut interdum Apostoli quoq; faciunt, sed diuinam hinc sibi prerogatiuam præ Monarchis & Cesaribus affectans, tanquam Pater uniuersalis omnium Christianorum. Eum enim se iactare, ut est impudens, veretur minimè, fortasse iuxta illud Christi: Nolite Math. 23 vobis vocare Patrē in terris, VNVS enim vester est Pater, qui in cœlis est.

F 5

Nonus.

IX. **Nonus.** De constantia in doctrina Veritatis, à cuius mente sententiâq; ne dimoveamur ullo pacto, sed perstemus in illa: neque, ut alibi ait noster hic Apostolus, ceu pueri fluctuemus, & circumferamur quouis doctrinæ vento, per versutiam hominum. Quam παραίνεσιν Epistola ad Hebræos repetens monet, ne doctrinis varijs ac peregrinis circumferri nos patiamur. Bonum enim esse, si gratiâ cor stabiliatur, Heb. 13.

X. **Decimus.** Monemur, solere Satanam haud rarò dementare homines, suâq; peruersitatis mysteria peragere, per reuelationes impostorum Spirituum. Ut in Papatu apparitiones Demonum, vel pro angelis vel pro defunctorum animabus se venditantium, penè cunctos angulos Regni pontificij compleuerant. Et nostra ætate homines fanatici Suenckfeldiani & Anabaptistæ, atq; hos imitati alij nonnulli somnia iactabant, & peculiare apparitiones Spirituum, quorum indicio fundamenta suarum opinionum perdidicissent, ut ex libro D. Lutheri in Prophetas cælestes scripto, nec nõ minore ipsius Confessione de Sacr. Cæna manifestum est.

Nos

Nos teneamus, Deum in reuelato verbo suum omne consilium nobis aperuisse, & alligare nos ad legem & testimonium, remittere ad audiendos Mosen & Prophetas, Christum & Apostolos: quibus fidem habere qui detrectet, eum neq; crediturum ait Abrahamus, si vel ex mortuis apparens aliquis testificetur illi. Quin tam solidè nobis omnia in verbo reuelata sunt, ut nouas reuelationes circa dogmata Religionis non debeamus appetere, sed potius suspectas illas habere & auersari: cum sciamus, Deum in dogmatibus aperiendis illo patefactionum & somniorum modo extraordinario non uti amplius, posteaquam nouissimè nobis per filium locutus, omnem suam voluntatem quàm luculentissimè nobis exposuit & enarravit, Ioan. 1.

Eesai. 8.

Luc. 16.

Hebr. 1.

Ioan. 15.

Vndecimus. Non minus autem fugiamus id impostura genus, si qui aut verbis ad deceptionem comparatis nos astutè circumuenire, vel ex Philosophia humana depradari, vel arte compositas fabulas obtrudere nobis, aut ingeniosè disputando, opinionem aliquam plausibilem

XI.

ten-

tentant efficere, vel quibuscunq; fictis sermonib. nos aggrediuntur logodædali. Quibus modis aliàs facile capiuntur hi, quorum aures desiderio nouitatis pruriunt, ipsiq; doctrinæ sanæ pridem sunt pertæsi. Hinc fit, ut facili momento à veritate aures auertant, & ad fabulas conuertantur, 2. Tim. 4.

XII. Duodecimus. Quoniam D. Apostolus apertè perhibet, ausos fuisse nonnullos, se viuo & superstite, supposititias Epistolas sub suo & reliquorum Apostolorum nominibus obtrudere Ecclesiis: quamobrem etiam opus illi fuit suas Epistolas peculiari notare signo, & manus subscriptione firmare: apparet hinc, quid sentiendum sit de traditionibus, quas Pontificij pro Apostolicis venditant. Etenim quia viuis adhuc Apostolis reperti sunt, qui commentis suis illorum nomina præferre non erubescerent, cum Apostoli ore & manu, voce & scriptis possent contradicere: quid non putabimus intra spatium mille quingentorum annorum potuisse confingi, & sub specioso nomine Apostolicarum traditionum spargi & obtrudi Ecclesiæ Dei? præsertim in incredibili illo conatu

conatu Satanae & organorum ipsius, maxime verò etiam Romanorum Pontificum, qui nihil non audacissime fingeant, quicquid spectare poterat ad illud nequitiae suae regnum erigendum. Adhæc res ipsa clamat, traditiones illas, Apostolorum nomine commedatas, esse nothas et supposititias. Quandoquidem cum scriptis Apostolorum pugnant è diametro: Apostoli verò scriptis suis nihil tradiderunt dissonum, aut contrarium. Et sanè doctrinam ipsam quod attinet, eadem illa, quæ docuerunt ore, tradiderunt etiam scriptis suis. Quæ nobis ad plenam cognitionem Dei & Christi sic sufficiunt, ut aliarum traditionum supplemento ne utquam sit opus. Hæc scripta sunt, inquit Io- Ioan. 20.
 annes, ut credatis, quòd Iesus est Christus filius DEI, & ut credentes, vitam æternam habeatis. Deinde quod attinet constitutiones Ecclesiasticas, quæ administrationi cultus, nec non ordini & disciplina serviunt, eas nobis pro cuiusq; loci cõditione liberæ reliquerunt Apostoli, nec obtruserunt ut necessarias, quin potius disertè monuerunt, ne nos iugo servitutis pateremur im- Galat. 5.
 plicari,

plicari, aut pro necessarijs obtrudi, quæ sub Evangelio libera sunt & adiaphora, dicitur Colof. 2. te Paulo: Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte aliqua diei festi, aut nouilunij, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum: Corpus autem Christi. Ergo neq; hac in parte dimoueamur à mente aut turbemur per inania hæc crepitacula & terriculamenta traditionum Pontificiarum minimè certè Apostolicarum, quipè quæ libertatem Evangelij ab Apostolis tantoperè assertam penitus euertunt, & conscientias, quas illi voluerunt Christo liberar, sub iugum humanarum traditionum indignissimè redigunt.

XIII. *Decimus tertius. Quòd Diuus Paulus eorum dogma refellit, qui iniectò hominibus falso metu de die Domini iam iam præsentè, in officio eos continere laborabant: monet Pastores verbi, ne vera falsis principijs astruere, aut ementitis rationibus suos auditores ad pietatem conentur allicere.*

Rom. 3. *Sicut enim non sunt facienda mala, ut eueniant bona: Sic neq; tradenda sunt falsa, ut pietatis amor in hominum mentibus sanciat.*

atur. Sicut in Regno Pontificio ignem commi-
menti sunt purgatorium, operumq; merita,
aliaq; complura falsa, scilicet ut fictis men-
dacys intra recti honestiq; limites cohibe-
rent homines. Nos vera veris, recta rectis
argumentis docere & persuadere memine-
rimus. Cum enim Spiritus sanctus pieta-
tem operetur, non per fabulas hominum in-
genio excogitatas, sed per verbum suum,
tanquam accommodum instrumentum: Se-
quitur, ex huiusmodi commentis fabulosis
non efflorescere pietatem veram & solidam,
sed pietatis inane simulacrum & umbram
seu hypocrisin existere solere in cordibus ho-
minum.

Decimus quartus. Quomodo ex Arti- XIII
culo de Aduentu Domini Iesu Christi ad vl-
timum Iudicium extruenda sint commone-
factiones, docet nos presens Textus Episto-
lae. Terrendi omnino sunt impij, proposita
eis doctrina de aeterno Iudicio. Sicut Paulus
coram Praeside Faelice, homine Ethnico &
profano concionaturus, materiam sibi deli- AActo. 24.
git differendi de Iustitia, temperantia, ven-
turóque Iudicio. Qua etiam concione
Faelix

II. CAP. POST. EPIST.

*Fœlix aliqua ex parte terretur. Vicissim autem doctrina de Christi Aduentu cum ad consolationem piorum est accommodanda, quòd perfecta eorum liberatio propinquet, tum ad exhortationem, ut nunquam non sint ad diem illum parati. Et sanè multò magis hodiè, quàm olim Apostolorum tempore, licet affirmare, præstò esse diem Aduentus Christi, cum tot secula interea temporis effluxerint, & magnum illud signum, quod præcessurum erat nouissimum Iudicium, in Regno Pontificio completum iam præterierit: quod sequente parte Capituli demonstrabitur. Interim tamen non est certum aliquod tempus aut dies determinandus. Si-
Marc. 13. *quidem ne Angelis quidem datum est nosse*
Actor. 1. *horam iudicij, aut articulos temporum, quos Pater in sua constituit potestate. Ideò aliquoties iam pudesacti sunt fanatici, qui diem certum dicere Aduentui Christi sunt ausi.*
1. Thes. 5 *Nos hoc teneamus, quòd venturus sit, ut fur in nocte. Cùm enim dixerint: Pax & tuta omnia, repentinus eis imminebit interitus.**

SECVN-

SECUNDA PARS.

IN distributione Capitis dixi, secunda parte agi de tristissima calamitate Ecclesie, quæ uniuersale iudicium orbis sit antecedens. Eam nunc, qua fieri potest diligētia, explicabimus, eademq; operā Disputationem de Antichristo inter nos et Pontificios hodiè controuersam, in hac autem pericope capitis decisam, secuti filum & ductum Pauli, dabimus expeditam. Sic ergò ex Prophetico spiritu uaticinatur Apostolus: quoniam non adueniet Dominus, nisi uenerit defectio prius.

His uerbis signum ἡ γένεσις seu Antecedens constituit ἀποστασία seu Defectionem. Quæ uoce defectionem à fide notari, nullum est dubium. Quod non modò Græci uocabuli significatio, per sese plana, declarat: uerum etiam ipsius Apostoli luculenta expositio. Quæ enim esset illa ἀποστασία, sequentibus uerbis haud obscure ostendit, nempe ingens seductio Antichristi, sub cuius Regno à Christiana fide innumerabiles copie & myriades hominum erant defectura. Declarat

G eandem

eandem vocem, cum de eodem planè Regno
& seductione Antichristi differēs, 1. Tim. 4.
ait: Spiritus autem certò loquitur, quòd in
posterioribus temporibus (ἐποσίνονται) descen-
scent quidam A FIDE &c. Quod ipsum
vult Christus, Matth. 24. & Liber Apoc. 17.

Vt autem Iesuitarum Grex & fex quoquo
modo sanaret vulnera meretricis magna,
suumq; idolum carneum ab Antichristi su-
spicione liberaret: aliam hìc interpretatio-
nem, aliam glossam à mente Apostoli pror-
sus alienam, manipulares illi & serui Anti-
christi sunt commenti. Αποσίνονται enim in-
terpretantur illi de secessione populorum ac
gentium à Romano Imperio, atq; hanc secu-
turà eiusdem dissolutione & excidio. Hinc
pro Papa suo Romanaq; pestilentia cathedra
sic argumentatur: Antichristus demùm post
excidium Romani Imperij veniet: Siqui-
dem Apostolus asseuerat, oportere venire de-
fectionem, priusquam reueletur Antichri-
stus. At verò Imperium Romanum haud-
dum est dissolutum aut excisum. Ergò im-
possibile est, Pontificem seu Papam esse illum
Antichristum, de quo concionatur Paulus.

Cuius

Cuius Argumenti Maiorem Propositionem, ut manifestè falsam negamus & rejicimus, quippè cui nec textus Epistolæ suffragatur, nec ea cum vaticinijs Danielis ulla ratione potest conciliari.

Primò enim quia ipsa vox Apostasia, præsertim cum sic absolutè posita reperitur, non Regni alicuius externi ruinam aut dissolutionem significat, sed secessionem à fide: certè si excidium Romani Imperij notare hac voce placuisset Apostolo, tum nequaquam dictio hæc ita absolutè fuisset posita. Deinde quæro, an non vox Apostasia secundum subiectam materiam sit intelligenda? Quoniam ergò nec in precedentibus, nec in immediate consequentibus Imperij Romani explicata sit mentio, sed de rebus tractatur Theologicis, non Politicis: quis, obsecro, talem glossam assuere velit Apostolo Paulo, quam neq; vis vocis absolutè positæ per se reddit, nec subiecta materia largitur, nec precedentium & sequentium contextus admittit, nec rei, de qua ex p̄fesso pertractatur, qualitas ei suffragatur? Præterea quia Iesuitæ gruniunt, non tantùm Romani Im-

perij debilitationem quandam ante mundi finem fieri oportere, quam aliàs nos quoque vaticinijs Danielis instituti credimus, & experientia testimonio edocti coràm aspiciamus (tametsi hac debilitatio nihil ad Apostasia vocem presentem) sed insuper (graves Autores) augurantur, oportere Monarchiam Romanam destrui prius & excindi prorsus, antequam suus ille fictitius Antichristus veniat: ut hac ratione Pontificem suum ab Antichristi suspitione purgent egregiè: quid, quaeso, faciunt aliud prestigiatores illi, quam ut hoc fabuloso commento sacrosanctam auctoritatem Oraculorum Danielis labefactent & conuellant? Daniel enim de Monarchijs orbis earumq; serie & duratione ex professo differens, & ad quartam (quæ Romanorum est) accuratius spectandam oculos animumq; conferens, luculentissimè testatur, quartam Monarchiam, quantumvis in extremo vix luteis stantem pedibus vehementerq; debilitatam, duraturam tamen esse usq; ad consummationem seculi, nec ullius terreni Regis armis illam penitus esse destruendam, vel excindendam, donec

donec Lapis ille grandis à monte reuulsus vniuersa huius mundi Regna comminuat, & in nihilum redigat, quod die nouissimo demùm futurum dubitari neutiquam potest.

Et si verum esset, quod illi de excidio Romani Imperij ante Aduentum Antichristi ganniunt: nonne ex quarta Monarchia dissolutione surgeret Monarchia quinta? quemadmodum ex Babylonici Imperij excidio Persicum extitit, Persici Regni vastationem Græcorum excepit Monarchia, cuius ipsius quoque destructio fuit ortus Monarchiæ Romanæ? At verò Daniel Propheta Domini, nec plures nec pauciores in spiritu vidit Monarchias, quàm quatuor, & Romani Imperij Monarchiam quartam seu ultimam ad finem usque mundi protendit.

Ex quibus ita demonstratis sole clarius apparet, Pontificios impostores illos Iesuitas nihil aliud quàm nugas vendere, Deo simul & mundo illudere, dum Apostasiæ seu defectionis vocem à Paulo usurpatam referunt ad excidium Imperij Romani, ut hinc fulcrum quoddam labascenti Maiestati Pontificis fabricent, & Antichristum haud dum

II. CAP. POST. EPIST.

venisse arguant: sed venturum demum, quando Monarchia quarta planè dissipata fuerit, fortasse cum Iudeorum larvato Messia, quem expectant. Quemadmodum etiam habent Pontificiorum fabula, Antichristum, de quo nugantur, pro Messia receptum iri à gente Iudaica: ut videlicet in Disputatione de Antichristo nos in utopiam ablegent, & ad Græcorum Calendas remittant, & pro Antichristo sacris literis notato substituant alium, qui demum venturus sit, cum Iudeorum Messias venerit, id est, nunquam: ut interim sub hisce fabularum tenebris Antichristus verus nequitia sua mysterium furtim perficiat. Evanescente igitur glossa Iesuitarum adulterina, salva nobis manet interpretatio nostra, qua defectionem ab Apostolo notatam definimus horribilem illam plurimorum populorum orbis Christiani à fide discessionem impiam, quæ sub Antichristo futura erat. Quemadmodum ipsemet Paulus, ut supra monui, nobis exposuit alijs in locis. Et hic verbis immediatè subiunctis eandem manifestissimè declarat. Ita enim pergit: Et reuelatus

latus fuerit homo ille scelerosus.) De Antichristo hic propriè agi, ne Aduersarij quidem ambigunt. Eum Spiritus sanctus Hominem appellat. Supremus quidem Regni Antichristiani fundator est Diabolus. Id verò tanquam Feudum quoddam confert Vasallo suo Antichristo, & per hunc velut electum diabolicae suae peruersitatis Organum peragit clandestina illius impietatis arcanum.

Ceterum hic tantum non emvixia canunt, & Trophæa statuunt Romanae sedis Adulatores Iesuitæ. Clamitant enim magnoq; boatu ingeminant, Paulum de homine loqui, non de hominibus, in singulari & non in plurali numero: ergo non de multorum Pontificum Romanorum serie, sed de uno quodam singulari & indiuiduo homine verba facere Apostolum. Sed respondeant nobis: quando scriptura dicit: Homo sicut Pfal. 103. fœnum, dies eius tanquam flos agri. Homo Iob 14. ex muliere natus exiguo viuit tempore.

Quis fecit os hominis? Panis fortificat cor Exod. 4. hominis. Non in solo pane viuit Homo. Di- Pfal. 104. mittet Homo Patrem & matrem, & adhe- Deut. 8. rebit Math. 19

II. CAP. POST. EPIST.

rebit uxori sua &c. Annón hæc eadem vox
 (Homo) in singulari numero sit posita? Id
 si negauerint, ad Elementarios Scholasticos
 remitemus eos. Quis verò nisi stolidissi-
 mus ineptiat, hac singularis numeri voce,
 personam denotari certam, atq; unum dun-
 taxat indiuiduum hominem intelligi? ac
 non potiùs totam speciem? Ita cùm legitur
 Hebr. 9. in sacris literis, quòd Pontifex ingrediatur
 Deut. 17. singulis annis in sancta: quòd Rex Israëlis
 1. Tim. 3. legere debeat in Deuteronomio: quòd Epi-
 scopus esse debeat irreprehensibilis: quis tam
 sit ad miraculum vsq; stupidus, qui velit ex
 numero singulari Grammatico iuxta Iesui-
 tarum Sophisticen colligere, intelligi hæc de
 vna duntaxat persona certa, vno quodam
 Rege, Pontifice, Episcopo, & nõ potius quem-
 libet notari Regem in Israelitici Regni solio
 sedentem, quemlibet Pontificem, quemlibet
 Episcopum? Quid mirum igitur, si & hic
 per hominem scelerosum Spiritus sanctus
 quemlibet Romanum Pontificem, qui illam
 impietatis sedem occupat, designet, præser-
 tim cùm quouis tempore vnus tantum
 Papa regnare soleat? Et sanè Antichristi
 Regnum

Regnum illud nequaquam, ut Pontificij somniant, in una certa persona fuisse inchoandum & finiendum, sed aliquot secula duraturum fuisse, Paulus ipse nobis aliquantò post argumentum irrefragabile subministrabit. Neq; obstat huic nostræ responsioni Articulus Græcus ò, quem nō semper Individuo, sed multoties integræ speciei aut personis multis eodem in ordine sibi succedentibus, adaptari certum est. Veluti Hebr. 9. dicitur, quòd $\mu\omicron\nu\textcircled{c}$ ò $\alpha\pi\chi\epsilon\sigma\epsilon\upsilon\varsigma$, solus summus Sacerdos, quotannis ingrediatur sanctum sanctorū. Vbi præter articulum ò additur insuper Exclusiua particula, $\mu\omicron\nu\textcircled{c}$, quæ in restringendo multò etiam fortior est. Et nihilominus Articulum istum ò non possumus aut debemus intelligere de indiuidua quadam persona, velut Aaronis, &c. sed necessario referimus illum ad omnes Sacerdotes summos, qui continua serie sibi succedebant.

Sed ad Textum reuertamur. Nominatur à Paulo Antichristus homo scelerosus, seu homo peccati, non suæ duntaxat Personæ respectu, quatenus peccato & Satanae se totum addixit, sed etiam respectu aliorum, quibus

G s ad

II. CAP. POST. EPIST.

ad peccatū defectiōnis à fide, idolatria horrenda, multiplicium errorū, aliorumq; peccatorum omnis generis Autor & caput est.

Sic & filius perditus seu perditionis appellatur, non tam, quòd ipse pereat, quàm quòd alijs tristissima sit origo perditionis æternæ. Hunc ergò hominem peccati filiumquè perditionis reuelari prius oportere testatur Apostolus, antequam ad iudicium veniat Dominus.

Ceterum non uno reuelationis modo patefieri illum oportuit. Primò enim tum suo quodam modo reuelabatur, quādo quæ prius occultè fouebat, & prolixo animo meditabatur, tandem in apertum protulit, & regnum, quod prius per ambages, quasi aliud agendo, quærebat, occupauit apertè, suamq; tyrannidem palàm exercere cœpit.

Verum quia hæc ipsius manifesta tyrannidis non nisi à paucis pro tyrannide agnoscebatur, eiusq; errores habebantur pro cælestibus & ex diuina tripode dictis oraculis, atq; ipsemet nomine et prætextu ipsius Christi sic omnia peragebat, sic titulo Vicarij Christi, Sanctissimi in Christo Patris, &c.
tectus

reclusus latebat, ut haberetur non pro lupo, sed pro Pastore ouium summo & vniuersali: idcirco reuelatione opus fuit altera, quâ cum ipsi, tum toti Regno eius atq; doctrina, opinio veritatis sanctitatisq; demeretur. Ad quam etiam reuelationem potissimum hic respexit Paulus, utpote diei aduentus Christi (cuius mox secuturi signum esse debuit) propinquiorem. Ea fieri debuit per Euangelij doctrinam, quæ tanquam Lux totum illud Regnum tenebrarum detegeret, & errores pro veritate prius falso creditos habitosq; patefaceret, sicut in doctrinarum explicatione fusius dicetur.

Qui est aduersarius, &c.) Nunc à notis & proprietatibus describit Antichristum, & viuis quasi coloribus depictum ob oculos statuit. Et prima nota recensetur, quod est ἀντικείμεν &, Aduersarius, Dei scilicet & Christi, quippe qui cum Christo Domino in doctrina & officio, in vita & moribus velut aduersa fronte pugnet: idq; ratione planè occulta, ipsius Christi prætento nomine & autoritate.

Et effertur aduersus omnem, qui De-
us di-

us dicitur aut numen, &c.) *Secunda proprietas, eaq̄ principalis, memoratur hæc: quòd efferet se Antichristus supra Deum ipsum, & supra omne id, cui aliàs Deus nomen suum est largitus. Supra Deum quidem, dum suas constitutiones, decreta & mandata longissimè præferet ipsius Dei præceptis & mandatis: & suarum traditionum constitutionumq̄, prævaricationes pro peccatis atrocioribus reputabit, quàm peccata contra Viui & æterni Dei præcepta commissa: quin & sua dogmata longè præponet verbo & scripturæ Omnipotentis Dei: id quod verè est semetipsum supra Deum extollere. Non solum autem se dicta ratione efferet supra eum, qui respectu Essentia suæ Deus est: sed & supra omnem, qui Deus dicitur, & cui Deus suum illud nomen (propter officij Maiestatem) concessit. Extollet igitur se supra Imperatores, Monarchas, Reges et Principes orbis, quibus Dominus augustum nomen suum dedit ut Dij appellarentur.*

Psal. 82.
Ioan. 10.

Adeò ut in templo Dei sedeat, &c.) *Tertia proprietas, quâ ipsius in medio Ecclesie dominatio notatur. Hoc enim est sedere in*

re in

re in Templo Dei, videlicet dominium exercere in Ecclesia. Neq̄, enim hic Templum significat domum ex lapidibus aliãue materia extructam, sicut quidam ex grege Iesuitico exponunt, & nugantur suauiter, Antichristum (fictitium illum suum) in Templo sessurum Hierosolymitano. Nos verò sciamus sermonem Apostolo esse non de vlllo alio Templo, quàm Dei templo, hoc est, quod sub nouo Testamento Deus sibi vendicat. Id verò non est templum Hierosolymitanum, utpote quod abiectum & destructum est, & Daniele teste nunquam amplius eo in loco instaurandum. Id enim cum aliquando sub Imperatore Iuliano Apostata tentarent Iudæi, ignis è terra erumpens instrumenta edificantium absumpsit. Sed neq̄, de eius Ierosolymæ, quæ hodie est, templo aliquo ista interpretari fas est: quoniam vniuersa illa regio à Mahometica blasphemia sic occupata est, ut longè sit absurdissimū, ibi Dei Templum aliquod somniare. Quemadmodum etiã Dominus in nouo Testamento eiusmodi Templo, quale olim fuit Hierosolymitanum, non indiget. Id enim quia exemplari seruebat

bat & umbra, iam post Christum exhibitum suo officio est defunctum. Dei autem Templum in Regno Christi sub nouo Testamento nihil aliud est, quam Ecclesia. Sicut Prophetis solenne est, quando de Templo Domini, ad quod regnante Messia omnes gentes se aggregaturae sint, vaticinantur, Ecclesiam Christi intelligere: quae, Paulo teste, est domus Dei viuentis. Sed & vox, *SEDENDI*, non corporis situm, sed dominatum explicat, eum verò non quemuis, sed planè diuinum. Ita enim iuxta Graecum Textum habent verba Apostoli: Adeò vt in Templo Dei sedeat, *TAN QUAM DEVS*. Vbi clarè indicatur, Antichristum sibi sumere plenariam potestatem, soli aliàs Deo congruam debitamq̃, noua cudendi dogmata, & condendi leges, easq̃, sub anathematis fulmine, & aeterni supplicij interminatione religiosissimè obseruandas obtrudere Ecclesiis. Hoc est sedere in Templo Dei, & se ostentare vt *DEVM*. Quae omnia exquisitissimè in Papam quadrare, locorum communium Tractatio paulò post docebit.

An non meministis, &c.) Occupatio
est

est figurata interrogatione, quâ eorum Pseudo-
 doctorum obiectionem anteuertit ac diluit,
 qui Thessalonicenses circa hoc caput doctri-
 na turbare conabantur. Potuissent enim il-
 li obtendere, hunc de prorogatione Nouissi-
 mi diei & præcessura defectione à fide tra-
 ctatum haud perinde congruere ad pristi-
 nam doctrinam Pauli? Idcirco proprio Thes-
 salonicensium (ad quos prouocat) Testimo-
 nio euincit, se hoc ipsum & prius docuisse,
 quando eis coram sit concionatus: neq; se hac
 in parte à doctrina pristina sua, vel latum
 unguem recessisse. Ita autem ad Ecclesiam il-
 lius Testimonium prouocat, ut simul obli-
 què taxet & perstringat nonnullorum in-
 ter eos obliuionem, qui vanis commentis lo-
 cum dantes, diem Domini sine temporum
 interuallis imminere mundo iudicabant,
 sententiæ Paulinæ, quam ea de re prius au-
 diuerant, obliti. Est igitur verborum Apo-
 stoli sensus hic: Vos ipsi debebatis meminisse,
 me hæc eadem, cum adhuc vobiscum age-
 rem, diligenter inculcasse vobis, & de ven-
 tura insigni hac seductione publicè vobis es-
 se testificatum. Quis fit ergo quòd aliqui
 horum

horum immemores in opinionem diuersam trahi se patiuntur.

Et nunc quid detineat, scitis &c.) Quid obstet Satanae, quò minus iam statim uniuersam suam vim explicare possit in extruenda sede, quam Christi Throno vult oppositam: vobis, ex concionibus pristinis meis, incognitum esse non potest. Quid verò illud est? Id Apostolus sanè hic non exprimit, sed tanquam prius sedulo inculcatum Thessalonicensibus, illorum memoriæ committit.

Ex euentis autem colligere promptum est, quidnam sit illud, quod Diaboli conatus eo tempore inhibuit & retardauit. Primò enim obstabat ei singularis ac penè incredibile sanctorum Apostolorum cura, & multorum in primitiua Ecclesia fidelium Doctorum ardens zelus indefessumq; studium, quo se erroribus & corruptelis Doctrinae caelestis fortiter opponebant, & exorientes haereses vel reprimebant statim, vel certè sic inhibebant, ne acquisitis viribus inualescerent serperentq; latius. Deindè obstabat primus ille feruor Christianae Ecclesiae

sua erga sinceriores Euangelij doctrinam. Tertio impediebant Antichristi conatum persecutiones primitivae Ecclesiae, quae factum illum Doctorum reprimebant, ne sese hunc in modum efferrent: aut si maxime Diabolus quosdam superbiae spiritu afflaret, tamen ob summam Imperij Romani Maiestatem & potentiam perficere, quod vellent, & ad eiusmodi celsitudinem assurgere non valebant. Haec erant impedimenta illa, quae Satanae & organorum ipsius cogitata consiliaq; detinebant aliquandiu & remorabantur, ne subito omnem malitiam suam in terrarum orbem effunderet.

Nempè ut ille reueletur tempore suo, &c.) Particula (nempè) ressecari debet. Non enim causam hic explicat Apostolus, sed consequens potius exponit: fore scilicet, ut aliquando remotis obstaculis illis Antichristus manifesta vi grassetur in Ecclesiam Dei, atq; verbo etiam Euangelij reueletur in suo tempore.

Nam mysterium iam nunc agit iniquitatis, &c.) Continuo contextu loquitur de Antichristo. Queritur ergo, quomodo

H modo

II. CAP. POST. EPIST.

modo is iam inde ab Apostolorum seculo
 mysterium iniquitatis egisse scribatur? Re-
 spondeo: Fuerunt ipsis Apostolorum tempo-
 ribus aliquam multi, qui disseminatis hinc
 inde falsis opinionibus infelicem telam il-
 lam ordiebantur. Sed res adhuc erat disper-
 sa, neq; in unum unius Regni corpus reda-
 cta & collecta. Itaq; infirmiore passu nego-
 tium illud procedebat, obstantibus ijs, quæ
 suprâ memoravi, impedimentis. Interim
 sternebantur fundamenta subsecutura se-
 dis Apostolica: donec tandem è medio remo-
 tis obstaculis uniuersa illa impietas in u-
 num Corpus reducta & collecta est, consti-
 tutum ei certum Regnum, constituta sedes,
 eiusq; Nequitia propaganda, & plenis in or-
 bem Christianum alueis atque fluctibus ef-
 fundenda potestas summa in unum aliquem
 eius Regni Monarcham est collata, qui ho-
 die Papa nominatur.

Tantum qui tenet nunc, donec è
 medio tollatur.) Hæc verba cum præce-
 dentibus, à quibus in contextu dependent,
 iuncta, hunc nobis sensum reddunt: Anti-
 christus suum Negotium haud dum vel po-
 test

test vel audet in publicum proferre: quia hi, qui tenent seu detinent ac remorantur illum, nondum sunt è medio submoti. Itaq; tantisper in tenebris occultabit sua consilia, donec Apostoli, ceteriq; Doctores asserendæ veritatis zelo flagrâtes, rebus humanis exempti, & Imperij Maiestas potentiaq; diminuta fuerit. Quo factò, tunc erumpet, & tunc patefiet iniquus ille. Patefiet autem, primò quidem, dum ipsemet (vnâ cum suo Primatu, quẽ prolixè ambiebat, omnisq; Impietatis Lernâ, quam parturiebat) prodibit in huius Mundi scenam & Theatrum, manifestè vendicaturus sibi totius militantis Ecclesie gubernationem summam, & ex sede sua propagaturus in genus humanum omnem sentinam errorum suorum, quos diuturno tempore intra latebras atq; tenebras cordis sui gerebat conclusos. Deinde verò patefiet alia ratione multò feliciorè, quando Dominus nolentem volentem reuelabit mundo, & ex orientis veritatis fulgore deteget ipsius hypocrisin, idolatriam variam & multiplicem, fraudes & imposturas, quarum veneficijs oculos hominum



fascinator perstrinxerat, errores innumeros item, quos antea cunctis populis ex Calice Romanae Babylonis propinauerat.

Porro ἀνομιᾶς (iniquus) dicitur, non absolutè tantum, respectu sui, sed maximè relatè, quia Mundo sit futurus omnis iniquitatis peruersitatisq; Coriphæus & antesignanus, à νόμος seu Lege & Canone veritatis, verbo Dei, auertens homines, & ad ἀνομιᾶν siue opiniones ab Euāgelij doctrina dissentaneas cōuertēs illos, seu potius puertens.

Quem Dominus conficiet spiritu oris sui.) De patefactione Antichristi semel atq; iterum meminerat. Nunc posterioris illius, quam dixi, reuelationis modum ostēdit, videlicet quòd spiritu oris sui Dominus eum sit cōfecturus: quasi dicat: Christus Aduersarium suum Antichristum primò destruet in hominum animis, qui sanctitatis opinione de ipso concepta penitus occupati, & in ipsius religiosam admirationem absorpti fuerant. Destruet autem illum non armis externis: Sed quemadmodum Nequitia spiritualis erat, ipsis cordibus hominum altissimè infixā: sic spirituabus quoque
armis

armis, nempe spiritu oris sui pugnabit aduersus illum Christus, eumq; conficiet. Per Spiritum oris Christi verò Spiritus sanctus intelligitur. Hic enim est, qui arguit mundum de Peccato, Iustitia, & iudicio: idq; per verbi prædicationem. Proinde idem ille Christi Spiritus virtute exorientis verbi seu Euangelij expugnaturus erat Antichristum.

Cæterum quod subiungit: Et abolebit eum claritate Aduentus sui: Palàm innuit, Antichristum, licet detectum, et in hominum innumerabilium animis debellatū, duraturum tamen esse vsque ad illustrem Christi Aduentum alterum: ubi demum maiestate gloriosissimæ ipsius apparitionis prorsus sit abolendus, ita nimirum, ut toti Regno eius finis imponatur, ipse verò cum suo sodalitia precipitetur in infernalem lacum, igne & sulphure ardentem.

Cuius est Aduentus secundum operationem Satanæ &c.) Docet, quibus artibus Antichristus ad eam sublimitatem atq; Regnum sit peruenturus, mundo fucum illum non animaduertente: quod non iniu-



II. CAP. POST. EPIST.

ria quis miretur. Respondet ergo Apostolus, non humanitè hæc omnia fore administranda: sed consilia auxiliâq; sua coniuncturum hominem sceleratum cum Diabolo, qui totum id Negotium impensè gubernaturus sit, & huic Regni sui Vicario potenter cooperaturus. Id porrò quod de Satana operatione generatim modo dixerat: nunc in species diffundit ἐπαειρηνοσει vel enumeratione eorum adminiculorum, quibus fretus et adiutus Satanas Antichristum suum in scenam mundi producturus erat.

Cum omni potentia) Hoc primum est membrum enumerationis, huc spectans, quòd Satanas omnes suæ Diabolicæ potentia vires explicaturus sit, ut Antichristum ceu instrumentum maximè sibi accommodum in supremam tenebricosi Regni sui arcem collocet.

Et signis) Hoc secundum est Satanicæ illius operationis adminiculū, complectens signa ac prodigia. Ea autem addito Epitheto longissimè secernit à Dei miraculis. Hæc enim Satana signa prodigiâq; vocat mendacia, quasi dicat: Antichristi miracula
partim

partim simpliciter erunt ab hominibus ociosis, ingenijsquè ad mentiendum decipiendumq; pronis conficta, quibus tamen alij tanquam verè sic gestis fidem habebunt; partim constabunt præstigijs & illusionibus Satanicis: partim erunt posita in Apparitionibus immundorum Spirituum, vel pro defunctorum animabus, vel pro Angelis sese venditantium: partim in collusione demonum, quando Diabolus ad seruorum Antichristi exorcismos spontè cedens ex obsessis, videbitur inde eiectus esse & deturbatus, aut cum ægrotos, quos prius afflixerat, quando vota facient Diuis, ex idolatrica uotorum nuncupatione videbuntur seruati, sanitatemq; adepti, &c.

Omniq; deceptione iniustitiæ.) Tertio hoc membro omnes illos modos varietate penè innumerabiles comprehendit, quibus mundum Satanas in admirationem Antichristi rapturus erat.

In his qui pereunt.) Subindicat, non omnes omninò invisibili Ecclesia sic fore decipiendos, ut in erroribus cum fidei fundamento pugnantibus pereant. Horum

II. CAP. POST. EPIST.

multos quidem futuros & innumeros, qui Antichristi imposturis circumuenti aeternum sint perituri. Fore interim aliquos, qui imposturis illis non credant, sed Satanae & seruorum ipsius excogitatis fraudibus rem geri subodorentur, sibiq; caueant.

Pro eo, quòd dilectionem veritatis, &c.) Causa notatur, ob quam Deus tantam seductionem in humano genere, & quidem in medio Templo Ecclesiae Dei permissurus sit, videlicet ad vindicandam supinam ingratitudinem contemptumq; doctrinae sanae: eò quòd dilectionem veritatis, hoc est, dilectam veritatem recipere detrectarunt, per quam potuissent salutem consequi. Ideo iustissimo Dei iudicio haec illorum ingratitude sic punietur, vt credant mendacijs. Sicuti subiungit: Propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis.

Cæterum hic quaestio nascitur: quo sensu Deus dicatur efficacem eam illusionem mittere? An enim ipse huius est Autor? Hic tenendum, illusionem istam & Deo tribui, & Satanae: sed diuersissimo respectu. Satanae quidem, tanquam Autori eius deceptionis,
qui

qui eadem operatur efficaciter, quemadmodum modo dixerat, Antichristi Aduentum fore secundum operationem Satanae. Itaque ipse ORTVS, principium & Origo huius omnis malitiosae deceptionis Diabolo tribuitur. Deinde autem Deo adscribitur, non respectu ORTVS huius mali. Malum enim culpae seu peccati non modo à Deo non est: sed ne quidem oriri ab illo potest, teste Ioanne: qui, quicquid est in mundo mali, non ex 1. Ioan. 2. Patre esse scribit. Cui assertioni consentit Iacobus, inquiens: Deus ut malis tentari non Iacob. 1. potest, ita nec ipse quenquam tentat ad malum. Adscribitur ergo Deo, duntaxat ratione FINIS, quatenus videlicet id, quod Satanas molitur & operatur, iusto iudicio fieri permittit, eum in finem, ut suam in reprobis illis contemptoribus verbi sui iustitiam declaret, atque sic id Malum, quod ab Autore Satana proficiscitur, ipse diuina sua gubernatione ad hunc bonum finem reuocat, ut illi ingrati reprobiq; nolentes volentes, gloriae iustitiaeq; Dei illustrandae subserviant. Ita Deus non constituitur peccati Autor, sed mittere dicitur efficaciam illusionis, seu

H s effi-

efficacem illusionem, quando Satana concedit, ut is ingrati Mundi oculos animumq; fascinet: idq; hunc ob finem, qui modo est explicatus. Atq; sic Deo tribuuntur hac, ut iusto Iudici, qui vindicet antegressam mundi ingratitude, & permittat Satana tanquam Iudiciorum suorum executori, ut hoc modo in errorū precipitia deturbet impios. Quemadmodum aliàs quoque in humano Iudicio Magistratus dicitur ultimo supplicio afficere sceleratos, cum tamen Magistratus ipse manum non admoueat, sed Carnifex, cui potestatem illam Magistratus, ad punienda scelera, concedit & permittit. Et quidem finem illum, ad quem Deus pro infinita sapientia sua reducit contemptum Evangelii, haud obscure notat Paulus, cum subiicit: ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam.

Dicas: Cur tantoperè eis vitio vertit Paulus, quòd veritati non credunt, cum ignorare nequeat, ipsos ex sui arbitrij viribus credere non posse? Respondeo: Non tam hoc in eis reprehenditur, quòd obstante naturali

turali & originali prauitate cordis illum fidei assensum animis concipere haud queunt, quàm quod ne quidem Organum fidei, nempe verbum, audire dignantur, per quod Deus ipse in illorum cordibus fuisset fidem operaturus, quam aliàs homo suis viribus excitare in sese nunquam potest.

LOCI COMMVNES.

Primus & maximè principalis de Antichristo. Quæritur enim, quis sit ille Homo peccati, filius perditionis, ἀνομιᾶς καὶ ἀπικρίτου, ipsiq; Christo oppositus Antichristus? Nos ex ipso vaticinio Paulino demonstrabimus, in nullum alium, quàm Papam Romanum, hæc, quæ de Antichristo hîc memorantur, quadrare.

De Anti-
christo
Locus.

Principiò autè, ne quis fortè existimet, in Mahumete Prophetiam D. Pauli esse adimpletam: tenendæ sunt sequentes rationes, quibus infallibiliter ostenditur, Apostolo de Impietate Mahumetica sermonem non esse. Primò enim describitur Antichristus hac proprietate, quòd sedeat in Templo Dei, hoc est, in Ecclesia. Iam verò cum Mahumeth

II. CAP. POST. EPIST.

meth ipsiusquè in Imperio Turcico succes-
sores sint extra DEI Templum, extra Ec-
clesiam, extra cœtum BAPTIZATO-
RVM: manifestum euadit, in illos hanc Pro-
phetiam conferrî non oportere. Deinde
eiusmodi nobis hîc pingitur Aduersarius,
qui multo tempore occultus sit futurus in
populo Ecclesiæ, ut pro Christi hoste non ha-
beat, ideoq; reuelatione indigeat. At verò
Mahumeth semper à Christianis pro aperto
Aduersario Christi & Ecclesiæ ipsius est a-
gnitus, nec tempus fuit vllum, quo ipse cum
doctrinâ blasphema sua latere poterat. Ergo
nihil hoc in loco de ipso traditur. Tertio, ta-
lis nobis Antichristus Oraculo Diui Pau-
li sistitur, qui imposturis ad fallendum e-
gregiè comparatis negocium suum ut plu-
rimùm clam & insidiosè peragat. Mahu-
meth autem eiusq; in Regno posterî manife-
sta vi armorû ad impietatem suam in pro-
patulo iacentem adigere conantur homines.

Deniq; loquitur hîc Spiritus sanctus de
Antichristo, cuius Aduentus sit per Satanae
operationem in signis prodigijsq; fallacibus.
At perhibet historia de Mahumete, illum
hanc

hanc ipsam ob causam in initio à suis conterraneis Arabibus neglectum despectumque fuisse, quòd dono edendorum miraculorum nec polleret, nec doctrinam suam prodigijs confirmare posset. Idq; ipsum Mahumet responso, quod illis dedit, testatus est: inquit, se miraculorum adminiculis haudquam indigere, cum non profiteatur doctrinam nouam, sed eandem illam, quam Moses & Christus iam antea miraculis satis abundè confirmassent. Se verò non venisse in potestate miraculorum, sed missum à Deo in potestate gladij. Ex quo apparet, neq; hanc proprietatem Antichristi in Mahumetem cadere. Quod enim alibi de Luna in partes secta, cuius dimidiam partem in manica sua occultarit, memorat: est id tam absurdum & ridiculum, ut ipsi Mahumetistæ crassissimam vanitatem commèti rideant: nedum, ut hac prodigiosa fabula in fraudem quenquam potuerit inducere: sicuti quidem aliàs D. Paulus de Antichristo narrat, ipsum non uno aut altero, sed multis atq; varijs miraculis, fallacibus quidem illis, sed quæ Mundus & vera & diuina esse sibi persuaserit,

in

in regno suo fore celebrem, ijsq; plurimos populos seducturum.

Multò verò minus hæc Apostoli Prophetica prædictio in Antichristum Vtopicum illum Papistarum competit, quem tùm venturum constat, quando Iudæorum Thalmudicus Messias veniet, atq; sic Nullus & Nemo mordebunt se in sacco.

Neque vel tantillum nos mouere debet nonnullorum Patrum opinio, qui suas coniecturas recensentes, Antichristum ex tribu Dan exoriturum fuerunt opinati.

Primò enim ne ipsi quidem Patres hoc ita certò ac indubitato definierunt, sed suas se coniecturas duntaxat percensere palàm sunt testificati. Qua fronte igitur audent Iesuitæ ex coniecturis Patrum, quas ipsimet dubiè proposuerunt, certam ac definitiuam in re tanta sententiam extruere?

Deinde quia tempore Patrum, prædictio de Antichristo haud dum erat completa, sed demùm complenda, quando manifestum Regnum occupaturus erat ille perditionis filius: quid mirum igitur, si suis opinionibus non ita præcisè mentem Oraculorum Spiritus

tus

tus sancti attigerunt? Cùm tùm demùm verè rectèq; intelligantur Vaticinia, quando suo sunt euentu illustrata.

Tertiò, quia Patres ipsi suis de Antichristo opinionibus ab inuicem dissident: qui nos certos facere poterit Iesuitarum factio, quæ potissimum ex illis discrepantibus sententijs eligenda cæterisq; præferenda sit, si omninò Patrum iudicio hac in re sit standũ?

Quartò manifestum insuper est, hanc coniecturam de Antichristo ex Dan procedente, falsissimo niti fundamento: nempe vaticinio Iacobi Patriarchæ sinistrè intellecto.

Quando enim is benedicens tribui Dan, inter reliqua pronunciat, Dan fore colubrum in via: docuit rei complementum, hoc in Simsone Iudice esse adimpletum, qui ex ea tribu natus, Philistæis fuit instar colubri, haud aliter, ac Hiskias Philistæis basili-

scus quidam fuisse scribitur, & Christus ipse morti venenum, & inferno pestis est. Esai. 14.
Ose. 13.

Et certissimum est, Iacobum ijs de rebus vaticinari filijs suis, quæ tribubus hisce euenturæ erant, stante adhuc politia Israëlitica:

Nequaquam verò de rebus, quæ longè post abie-

abiectam dissipatamq; politiam Israëli-
 rum, futurae erant. Cum igitur fundamen-
 tum huius opinionis nullum aliud sit, quàm
 oraculi à Iacobo editi deprauatio: certè sen-
 tentia ei superstructa non erat pro diuino
 quodam pronunciato venditanda.

Quamobrem nos, omisissis Pontificiorum
 fabulis, nulla vñ circuitione pronuncia-
 mus indubitato, hunc ab Apostolo descri-
 ptum Antichristum non esse quenquam a-
 lium, quàm Ecclesiae Romanae Episcopum,
 quem Papam seu Pontificem appellant.

**Antithe-
 sis Chri-
 sti & Pa-
 pae in vi-
 ta & acti-
 onibus.** Quòd enim Papa sit Christo ἀντιθέμενος,
 ex antithesi eorum, quae Christus fecit &
 docuit, & quae Papa facit & docet, euiden-
 ter apparet.

**Luc. 2.
 Matth. 8.** Christus in summa vixit paupertate in
 his terris, pauper natus in stabulo, nec ha-
 bens, quò suum caput reclinaret: Papa ve-
 rò Thesauris & opibus huius mundi totus
 abundat & affluit.

Math. 21 Christus pedibus itinera sua confecit: &
 in solenni suo ingressu Regio, vsus est asina
 conductitia omni ornatu mundano penitus
 destituta. Papa vicissim vel gestatur in
 Pompa

pompa plusquam Persica, vel sublimis equo ingreditur, vel Curru vehitur insigni, & apparatu planè imperatorio.

Christus fugit, cum volunt illum creare Ioan. 6. Regem. Papa verò dominandi libidine velut æstro percitus Regna Orbis ad se nullo iure rapit, et tanquam Rex Regum, ac Dominus dominatium, pro arbitrio suo distribuit ea, quibus vult, deijcit inde, quos vult.

Christus omnis humilitatis Exemplar fuit, ad cuius imitationem nos inuitat, in-
quiens: Discite à me, quoniam mitis sum et Math. 23.
humilis corde. Papa verò omnis fastus & superbia exquisitissima idea est, quod paulò post ad oculum demonstrabitur.

Christus non venit, ut sibi ministrare- Math. 20
tur, sed ut ipse ministraret, daretq; animam suam redemptionem pro multis. At verò Papæ Romano ministrare tenentur Monarchæ & Reges huius Mundi: sicut liber de Ceremonijs Curia Romana testis est.

Christus didrachma soluit ijs, qui nomine Math. 17
Magistratus exigebant. Econtra Pontifici coguntur Regna Orbis vectigalia pendere.

Christus Apostolos suos habenas Politicæ Luc. 22.
I guber-

VI. CAP. POST. EPIST.

gubernationis tractare vetat, dicens: Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent, appellantur benefici. Vos autem non sic. Pontifex autem sacratissimo huic interdicto Salvatoris oppedere nihil dubitans, non tam Ecclesiasticum, quam politicum gladium sibi deberi impudentissimè contendit.

Math. 27. Christus Coronam gessit spineam. Papa plusquam Caesar aut Imperator triplici diademate auro atq; gemis radiante superbit.

Ioan. 13. Christus discipulis suis pedes lauare non est dedignatus. Papa verò ad impurissimorum pedum suorum oscula, ipsum quoq; Caput Mundi, Casaream Maiestatem, cunctosque Reges & Principes adegit.

Ioan. 11. Christus ab hominibus accersitus non dubitavit comparere. Papa verò non sustinet vocari ab alijs, sed omnes alios ad se vocandi potestatem, tanquam ius quoddam sibi decernit.

Math. 10. Christus omnia sua beneficia gratis offert, serio etiam iniungit, ne vel miracula vel Euangely gratiam vendant discipuli: gratis, inquit, accepistis, gratis date. Papa vicissimè

tiſſim, inſtituta per vniuerſum Regnum ſuum
 fœdiſſima Nundinatione & Negotiatione;
 pro pecunijs omnia venalia habuit: pec-
 catorum remiſſionem, Iuſtitiam, beatitudi-
 nem æternam, ipſumq; adeo Chriſtum, atq;
 eius ſanctiſſimum meritum, venalia proſti-
 tuit.

Chriſto ſic cura cordiq; eſt hominum ſa-
 lus, vt tanquam verè bonus paſtor vel v-
 nicam errantem ouiculam, relictis domi-
 nonaginta nouem ceteris, ſollicitè admo-
 dum quærat, inuentamq; non ſine ingenti
 gaudio ad ouile geſtet humeris ſuis. Papa
 verò æternam ſalutem animarum ita nauici-
 facit, ita floccipendit, vt ſi vel innumerabi-
 les populos cateruatim ſecum in barathrum
 æternæ gehennæ præcipites agat, tamen ne
 quidem compellari hac de cauſa, vel dici ſi-
 bi patiatur, quid facis? Sicut ipſemet in Iu-
 re ſuo Canonico hanc deteſtandam vocem
 edere, eaq; ex infima Tartari abyſſo eruſtare
 & euomere non erubuit, vt hac etiam in
 parte ſe Chriſto ἀντικείμενον demonſtraret.

Chriſtus omnis generis afflictiones op-
 probriaq; tulit in his terris. At Pontifex in
 Math. 26
 & 27.

summa Maiestate & Celsitudine, potentia, honoribus, diuitijs, gaudijs & voluptatibus seculi huius sublimis fertur & versatur totus, ab afflictionibus grauiori tadio fastidioq; abhorrens, quàm Diabolus, quod dicitur, à Cruce.

Antithe-
fis in of-
ficio. Christus porrò vult solus & vnus haberi ἀρχιποιμῆν seu Pastor ouium summus atq; vniversalis. Ait enim: Adhuc alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & VNVS Pastor.

Ioan. 10. Vult item agnosci solus pro Capite suæ Eccle-

Ephes. 1. siæ, quippè qui super OMNEM Ecclesiam à Patre sit constitutus Caput. Vult solus agnosci Sponsus Ecclesiæ suæ, nec admittit

Ioan. 3. Sponsum alium, ne Ioannem Baptistam quidem, qui se nō Sponsum, sed amicum Sponsi nominat: solum autem Christum pro Spon-

2. Cor. 11. so celebrat: Cui VNI viro Paulus Corinthios suos, tanquam virginem castam, vult adductos. Est item Christus solus Magister fidei, iuxta hæc ipsius verba: vos nolite vo-

bis Magistrum vocare in terris. VNVS enim est Magister vester, Christus. Solus est

Novi

*Novi Testamenti Pontifex, successore & Vi-
cario in suo Pontificatu nequaquam opus
habens, sed solus ipse in aeternum Pontifex* Hebr. 7.
*seu Sacerdos summus permanens. Est solus
fundamentum Ecclesiae, prater quod aliud
poni nequit, 1. Corinth. 3.*

*At Papa huic uni Pastori ovium summo,
uni & soli capiti Ecclesiae, Sponso, Magistro
fidei, Novi Testamenti Pontifici, huic uni
atq; soli fundamento, prater quod nullum
aliud poni potest, velut ἀντικείμεν, se è di-
recto opposuit, tanquam uniuersalem totius
militantis Ecclesiae Pastorem alterum, tanq̃
caput alterũ (absit autem vt Ecclesiam bi-
cipitem agnoscamus) tanquam Sponsum al-
terum (cum Ecclesia, ni adultera esse velit,
soli nubat Christo) tanquam alterum Magi-
strum fidei Articulorumq; Dictatorem: tan-
quam Pontificem Novi Testamenti secun-
dum: tanquam fundamentum Ecclesiae di-
uersum. Nonne igitur in sublimi illo officio
Papa Christo tanquam uni & soli, se secun-
dum, alterum, diuersum, contrariumq; oppo-
suit? cum hæc omnia soli Christo cõpetere, &
prater ipsum nemini, clarissima, quæ obiter*



allegata sunt, testimonia Spiritus sancti
quàm evidentissimè commonstrent.

Antithe-
fis in do-
ctrina.

Iam porrò si circa doctrinae caelestis Capi-
ta conferatur Christus & Papa: Deum im-
mortalem, quæ hic se offeret contrarietas &
repugnantia? Ex innumeris pauca dunta-
xat delibemus.

Ioan. 5.

Christus ad Iudæos ait: Scrutamini scri-
pturas. Loquitur autem ibi promiscuo Iudæ-
orum vulgo, et non solis Apostolis, ut ex tex-
tu infallibiliter apparet. Quid verò Papa?
Is ne quidem illarum lectionem ulli homi-
num permittit, excepta rasorum & uncto-
rum suorum (qui Bestiæ characterem acce-
perunt) fece.

Ioan. 12.

Christus verbum à se prædicatum Iudæis,
& Apostolorum operâ in literas relatum, Iu-
dicem constituit, inquiens: Sermo, quem lo-
cutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo
die. Papa verò id verbum non vocem Iudi-
cis, sed materiam litis esse contendit.

Luc. 16.

Christus Scripturæ Mosis & Propheta-
rum eam tribuit perfectionem, ut illius be-
neficio aeterna vitari possit damnatio. Papa
eam perfectionis laudem non modo non tri-
buit

buit libris Mosis & Prophetarum, sed ne quidem uniuerso Corpori scriptura, postquam ad scripturam Mosaicam & Prophe- ticam Lux Scriptorum Noui Testamenti accessit. Sed illam uniuersam imperfectam esse & accessione suarum, quas ipse vendit, nugarum perficiendam ait.

Christus, quicquid ex carne natum est, Ioan. 3. sic deprauatum docet, ut ei ad vitam aternam ingressus sit occlusus, ni altera, quae ex aqua & Spiritu est, Regeneratio accesserit. Papa cum Sophistarum suorum grege Naturalia mansisse integra palam fuit profes- sus.

Christus arbitrij humani vires adeò pro- stratas affirmat, ut disertè pronunciet, ne- minem ad se venire posse, nisi trahatur à Pa- Ioan. 6. tre: quin etiam renatis Apostolis dicat: Sine Ioan. 15. me NIHIL potestis facere. Papa volunta- tis nostrae etiam nondum renatae vires spon- tē sua ad gratiam se pulchrè disponere & preparare posse vociferatur.

Christus de credentibus suis, etiam iura- mento interposito, asseuerat, ipsos certò ha- bere vitam aeternam: Amen dico vobis, qui

confidit mihi, habet vitam eternam. Papa etiam Iustificatis, de gratia Dei vitæq; æternæ consecutione dubitandum censet, & contrarium docentes damnat.

Christus duo tantum genera hominum agnoscit, videlicet Credentium, & non credentium: Atq; illos quidem ait immediatè per mortem transire in vitam: hos verò damnationis iudicio obnoxios pronunciat, Ioan. 5. Neque constituit genus aliquod tertium, quod prius in Purgatorii ignem sit ablegandum, ut ibi perpurgetur à peccatorum reliquiis. Quin ne latronem quidem in ultimo agone resipiscentem mittit prius in ignem Purgatorium: sed inquit: Amen dico tibi, HODIE mecum eris in Paradiso. Papa verò hominum genus tertium est commentus, quod neq; in cælum, neq; in infernum statim migret post mortem, sed in Purgatorium Platonicum & Vergilianum.

Christus compendio explicaturus viam ad cælum, inquit: Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, NISI PER ME. Papa in Regno suo vias excogitavit innumeras, putâ Ieiunia, Eleemosynas, preculas

culas celeri pronuntiatione ad certum numerum sine mente & Spiritu demurmuratas, Negotiationem Missarum, Fraternitates, Ordines Monasticos, vota, Francisci stigmata, Merita Sanctorum defunctorum, Cultum Diuorum, peregrinationes ad illorum sepulchra, reliquias, sacella, statuas & imagines, indulgentias Papales, atque his consimilia alia, quibus omnibus atq; singulis caelum scandere et vitam aeternam consequi docuit hic sempiternae perditionis filius.

Christus nostris operibus adeo omnem **Luc. 17.** vim meriti negat, ut pronunciet: Si OMNIA feceritis, quae praecepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Papa vero docet homines imperfectissimis suis planeq; sordidatis opellis salutem aeternam adipisci.

Christus in Cruce clamans: consummatum est, indicat, nostram salutem sacrificio **Ioan. 19.** illo suo perfecte nobis partam et acquisitam, & sanguine suo deleta Generis humani peccata. Huic sacrificio propiciatorio unico Papa ἀντιχείμεν, aliud opposuit, nempe sceleratum Missae Sacrificium, quod in contumeliam

liam Sanguinis & passionis Christi, dixit esse Sacrificium propiciatorium pro viuis & defunctis.

Math. 15. Christus frustra Deum coli asserit præceptis hominum. Papa verò sua præcepta traditionesq; humanas loco diuini cultus mandauit Ecclesie, ijsq; Mundum repleuit.

Math. 28. Christus discipulis iniunxit, vt doceren, quæ ipse iussisset eos. Papa verò prætoriam sibi potestatem & Magisterium vendicat docendi, statuendi, & decernendi in rebus fidei, quæcunque fert libido.

Math. 15. Christus id, quod os hominis ingreditur, non polluere hominem disertè profitetur: nimirum vsum & esum ciborum liberum relinquens. Papa ciborum à se per doctrinam (vti Paulus vocat) demoniacam prohibitorum esu sic hominem pollui fingit, vt Regni cælestis hereditate excidat.

Ioan. 5. & 8. Christus absoluens homines peccatores, monet eos, ne peccent amplius, ne quid deterius illis accidat. Quid verò Papa noster? Is si pecunia numeratur, etiam pro futuris peccatis quantumuis atrocibus & nefandis Indulgentias dat, vt liberè & sine vlllo metu di-

tu diuini numinis peccare possint homines,
hisce indulgentiarum bullatis nugis fisci &
freti.

Christus de precandi ratione nos erudi- Math. 6.
ens, non vult nos in multiloquio spem pone-
re exauditionis: quam tamen Papa in mul-
tiloquio precum, quas Rosarias appellant,
manifestè collocat.

Precandi etiam formam præscribens Ibidem.
Christus, non Angelos, non Sanctos defun-
ctos, non Matrem suam, Diuam Virginem,
inuocare iubet, sed omisis omnibus alijs Pa- Ioan. 16.
tronis, in suo (Christi) nomine ipsum Pa-
trem rectè vult inuocari: Pater noster, qui
es in cælis. Papa ut se ἀντικείμενον declararet,
Inuocationi solius Dei vera, idolatricam su-
am ad totum Cælitum exercitum directam:
Et unico nostro in precatione Intercessori
Christo, innumeros Patronos & intercesso-
res opposuit.

Christus preces nostras vult fieri à cre- Math. 21
dentibus & non hesitantibus: Cui Iaco- Iacob. 1.
bus assentiens, scribit, eum, qui sapienti-
am velit petere à DEO, petere debere cum
fiducia, NIHIL HAESITANTE M.
Cur

Cur ergo Papa suos inter precandum de gratia Dei & exauditione hesitare ac dubitare iubet?

Math. 26 Et ut finem faciam: Christus Cœnam instituens, Calicis usum vult omnibus esse communem: Bibite ex hoc OMNES. Huic verò mandato Salvatoris Papa decretum Conciliabuli sui impij Constantiensis opponit, quod enormi cum sacrilegio, usum alterius partis Cœnæ laicis adimit, expressè decernens, quamvis Christus sub utraq; (ut vocant) specie Cœnam instituerit, Ecclesiæq; primitiua sic usurparit: HOC TAMEN NON OBSTANTE, sanciri à Romana Ecclesia, ut ab usu Calicis porrò laici arceantur.

Plura sunt, quæ huc referri possent. Verùm hæc cum abundè sufficiunt, tum ad oculum demonstrant, hanc primam Antichristi notam, qua nominatur ΑΥΤΙΧΡΙΣΤΟΣ seu Aduersarius, cum Pontificis Romani vita, moribus, actionibus, officio, quod Christo rapuit sibiq; impudenter arrogavit, doctrina item & dogmatibus, exactè & ad unguem planè congruere.

Pon-

Ponderemus nunc proprietatem alteram, an ea quoque in Pontificis personam quadret. Scribit Paulus, Antichristum elaturum se supra omnem, qui dicitur Deus aut Numen. Hoc in Romano Papa sic est impletum, ut ne quidem minutissimus apex desiderari possit. Siquidem Papa se extulit supra omnia ea, quae in Caelis, in terris, & infra terram sunt.

Quid aliud sibi vult, quando de se praedicari in suorum Canonistarum libris passus est: quod omnes Magistratus & Principes (quos scriptura Deos vocat) ipsamque Maiestatem Imperatoriam tanto transcendat interuallo, quanto Sol Lunam, & aurum superet plumbum: quodque Caesar sit instar ferrae, quae per se sit inutile instrumentum, nisi à Pontifice trahatur: quod caeleste habeat arbitrium: Iura omnia in scrinio sui pectoris, etiamsi idiota sit, & sui etiam immemor: quod habeat idem Consistorium cum Deo, idem Tribunal cum Christo: quod potestas eius se extendat ad caelestia, terrestria, & infernalia: quod non possit de adulterio aut homicidio accusari, quia Sacrilegij instar sit de facto disputare Papae, cuius

II. CAP. POST. EPIST.

ius facinora excusentur, ut Hebræorum fur-
 ta, Simsonis homicidia, & adulterium Iaco-
 bi: quòd habeat pedes plumbeos, & sit quasi
 immobilis, dans cuncta moueri: quòd Pape
 commissa sit tota spiritualis machina: quòd
 sit omnium Princeps & Rex Regum, &
 causa omnium in Ecclesia militantium:
 quòd ei omnis humana subsit creatura, idq;
 omninò esse de necessitate salutis: quòd va-
 cante Imperio, Imperatori succedat, et quòd
 in totam Ecclesiam Christi uniuersalem
 prelationem habeat: quòd non possit se sub-
 mittere iudicio Concilij, Imperatoris, vel
 alterius: quòd solus sine Concilio possit de-
 ponere Imperatorem: quòd sit omnium
 Christianorum & Ecclesie caput & pater,
 & omnes Christiani ad eum, ut ad caput &
 Patrem, debeant habere recursum: quòd pos-
 sit facere sententiam, qua nulla est, aliquã:
 quòd possit secundum plenitudinem pote-
 statis de Iure supra ius dispensare: quòd
 Papa contra ius, & supra ius, & extra ius
 possit omnia: quòd maior sit omni creatu-
 ra, Mose maior, Angelo maior, Paulo
 maior: quòd potestas eius summa sit, & li-
 bera

vera absolutaq; ab omnibus vinculis & ab
 omni Regula coërcente : quòd possit citare
 quemcunque & in quocung; loco existen-
 tem, quia ubiq; sit Dominus : quòd possit
 formam Sacramentorum mutare : quòd
 possit Apostoli verbis derogare, & contra
 Epistolas Pauli statuere : quòd Papæ absolu-
 tè credendum sit : quòd omnes Leges ei sint
 subiectæ : quòd omnia illi liceant : quòd nec
 Imperator, nec totus Mundus possit eum iu-
 dicare : quòd solus ipse possit rem uni aufer-
 re, & dare alteri : quòd possit cum Turca fæ-
 dus inire : quòd sit caput totius Orbis : quòd
 cum per scalam ascendit equum, Imperator
 stapham equi Papalis tenere debeat, & e-
 quum deinde freno ducere aliquantulum :
 Sin Papa non equo, sed sella vehi velit, quòd
 Imperator vel Rex aliquis, si adsit, ipsam
 sellam cum Pontifice humeris suis portare
 debeat : quòd Imperator in conuiuio aquam
 præbere debeat Pontifici ad lotionem ma-
 nuum : quòd Imperator vel Rex Romano-
 rum debeat portare primum ferculum ad
 mensam Papæ : quòd tanta sit Pontificis
 Romani sublimitas, tanta præeminentia,
 tantaq;

II. CAP. POST. EPIST.

tantaq̄ immensitas, ut nullus mortalium
nedum comprehendere, aut satis exprimere,
sed nec cogitare possit.

Atq̄ hæc sanè ut auditu cuius Chri-
stiano pectori horrenda planè sunt & exe-
cranda: sic quæ sequuntur, multò etiam
sunt horribiliora: & omninò talia, quæ
Pauli vaticinium de Homine scelerato effe-
rente se aduersus omne, quod Deus aut Nu-
men dicitur, seq̄ omninò pro Deo gerente, il-
lustrissimo Euentu completum in Papa ex-
hibeant.

Ita enim pergunt ipsius Canonistæ & di-
cunt, Papam esse quoddam *NUMEN*, &
quasi visibilem *DEVM* præ se ferre: à Papa
ne ad *DEVM* quidem appellari posse: im-
mutare illum posse naturã rerum, substanti-
alia vnius rei applicando alij: imò posse il-
lum aliquid *DE NIHILO* facere: posse il-
lum facere *OMNIA*, *QVAE DEVS FA-
CIT*: adeoq̄ esse Papam *DEVM*, esse causam
causarum, & Dominũ Dominantium: posse
ea in terris, quæ Deus in cælis: nec disputan-
dum esse, an Papa *POSSIT OMNIA*: Nul-
lum ei esse parem, *NISI DEVM*.

Vnde

Vnde etiam testimonia, quæ adorandam ac diuinissimam Christi ad Dei dexteram sedentis & regnantis Maiestatem expriment, nefario ausu Romanenses ad Idolum suum, Papam, detorserunt, dicentes ex Psalmo, Deum omnia subiecisse pedibus Papæ, datam Papæ esse omnem potestatem in cælo & in terra. Item illud Prophetæ: Dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Psal. 8.

Math. 28

Psal. 72.

Hinc quoq; sua præcepta Dei mandatis sic præfert Papa, ut si quis diebus à sede Apostolica sua vetitis, carnes comedat, is longè, longè, longè fœdius, atrocius & horribilius putetur peccare, quàm si DEI sacrosancta iussa & præcepta quouis genere scelerum flagitiorumq; nefarie violet. Quod verè est supra Deum ipsum ita se extollere, ut qui hoc negare velit, eum aeterna cecitate, amētia cordis & fatali stupore totum dementatum esse oporteat.

Num ergò adhuc dubitabimus, an hæc luculenta proprietas Antichristi in Pontifice Romano conspiciatur? qui se supra quosuis ubiq; terrarum ac gentium Magistratus,

K

supra

*supra omnem Angelicam potentiam, supra
 leges, iura, & Scripturas omnes, præceptaq;
 Dei omnia, atque sic consequenter supra De-
 um, autorem Scripturæ & Decalogi, ex-
 tulit, Maiestatemquè D E I & Christi
 sibi publicè attribui passus est. Quas sce-
 leratas voces suorum Canonistarum nec da-
 mnauit hætenus, nec damnabit posthac: nec
 quisquam hoc illi persuaserit: utcunq; aliàs
 in damnanda cœlesti veritate Euangelij su-
 pra modum sedulus sit. Quin imò verbis
 factisq; recitata elogia confirmat & appro-
 bat, quando infernalis Draco in Iure Cano-
 nico suo non erubescit rugire, si maximè in-
 numeros populos in æterna damnationis a-
 byssum unâ secum præcipitet, non tamen li-
 cere cuiquam mortalium contrâ hiscere.
 Approbat eadem illa laudum suarum præ-
 conia, re & factò in omnium oculos incur-
 rente, dum non modò in theatricis suis pro-
 cessionibus ab omni adoratur populo: ve-
 rum etiam dum Orbis Monarchas ad pe-
 dum suorum pulveres osculaq; deijcit.*

*Sed & tertia nota, qua Paulus Anti-
 christum pinxit, in Pontifice Romano se of-
 fert,*

fert, nimirum quòd in Dei Templo sedeat. Certum est enim, Romanum Papam non esse extra cœtum populumq; Baptizatorum, quemadmodum Mahumeth, sed intra illam visibilem Baptizatorum hominum congregationem. Neq; verò solum est è Baptizatis, atq; sic in Templo Ecclesie Dei: sed etiam longo tēpore SEDIT ad illius gubernacula, administrationemq; Ecclesie, tanquam Caput & Monarcha sibi sumpsit & vëdicauit.

Quod autem Iesuite nobis obiectant, si Papa sit habendus pro Antichristo, is verò sedeat in Templo Dei: Ergo hoc ipso nos fate-ri, Romanam Ecclesiam esse Dei Templum seu Ecclesiam veram: nihil hoc cauillo proficiunt. Distinguimus enim inter Papatum ipsum, & Ecclesiam, quæ seculis antea-ctis sub Papatu latuit. Nam ante reuelatum Euangelium non erant locis ab inuicem separata, Papatus & Ecclesia: sed in medio Papatu latebat Ecclesia: Et vicissim in media Ecclesia dominabatur Papa Antichristiana Tyrannis. Quin etiam nūm hodiè Romæ quedam Ecclesia est, sc. candidatus ille Baptizatorum paruulorū cœtus quorū plurimos



Deus hinc euocat, antequam illorum sensus Incantatricis Babylonica fascino demerentur. Interim tam non sequitur, vel Papam vel Papatum esse Ecclesiam veram: quam non sequitur, Caipham ceterosq; Iudaici populi Sacerdotes, Phariseos, & Scribas fuisse veram Ecclesiam, quantumuis in medio Templo populoq; Dei, imò in ipsa Moysi Cathedra sedebant, Matth. 23.

Quartò congruit ad Pontificem Romanum modus ille, quo Antichristum subdolè in suo negotio progressurum scripsit Paulus. Testantur enim historiae, Antichristi Spiritum illum maturè cogitasse, quo pacto vellet Christi Regno Regnum aduersum & inimicum, Ecclesiam Ecclesia, Thronum Throno, Caput Capiti opponere. Nam quia videbat, haereticos sine Nobili & potenti capite seu Monarcha quodam haud ita multum proficere: ipse omnem suorum consiliorum vim eò conferendam censuit: Primò quidem, ut errores spargeret, tanquam futuri Regni sui semina. Ideoq; Apostolis adhuc viventibus per Pseudoapostolos sparsit errores Pontificijs adhuc vsitatos, putà de im-
pletio-

pletione Legis, de Iustificatione ex Lege, de Operum meritis, de discrimine Ciborum, & prohibitione: Ne tetigeris, ne gustaris, neq; Colof. 2. contrectaris. Per constitutiones humanas quoque Libertatem Christianam tentavit labefactare, quippè cuius euersio plurimum ad rem adiumenti erat allatura. Deinde hanc operam sibi dandam censuit, ut disputatione de Primatu ad ambitionem inflammaret Episcopos Orbis: ut eò studiosius huiusmodi dominatum appeterent. In primis autem emulatione infelici illa attentavit Romanorum Episcoporum animos. Hinc factum, ut etsi primi illi Romanæ Ecclesiæ Presules ut plurimum essent piij Doctores, hunc tamen pleriq; haberent nœuum, ut propter Urbis Romanæ Maiestatem, cæteris haberi superiores affectarent. Quæ etsi potuit in eis humana quedam (ut & in Apostolis de Primatu altercantibus) esse infirmitas: tamen interim Diabolus hoc egit, ut suam ibi Sedem Cathedramq; paulatim erigeret. Etenim illa ambitio magis magisq; in successoribus exarsit, adeò ut maturè tentarent excommunicationis fulmen vibrare

in celebres Orientis Ecclesias (quod Victoris exemplo liquet) & in Concilijs primas sibi partes deberi contenderent: & ad dominatum illum incredibili conatu, miris artibus atq; dolis, etiam per falsi crimina conscendere laborarent: donec tandem per Cesaricidam Phocam, hic Primatus Episcopo Romano plenè confirmaretur, atque sic Satanas Nequitiae suae telam, quam exorsus erat, pertexeret, eiusque vim omnem, in unum quasi Corpus collectam & in unum Regni Monarcham atq; Praesidem collatam, potentissime in omnes penè Orbis partes diffunderet & propagaret.

Porro quintam notam, videlicet Antichristi miracula, quod attinet: constat in Regno Pontificio hæc quoque minimè desiderari posse: tametsi fallacia illa fuerunt, quemadmodum & prædixit Apostolus. Pleraque enim per Monachos, aliosq; seruos Antichristi fuerunt conficta simpliciter. Sicuti Lugenda Sanctorum Lombardica (quæ olim habebatur sacrosancta) plena est miraculis datâ opera confictis. Ex infinitis unum exemplum attingam, idque domesti-

cum.

cum. De Diua Elizabetha Marpurgen-
 si nostra, quæ non ausi fuerunt nebulones
 illi signa prodigiâq; scientes volentes com-
 minisci? Fabulati sunt, Elisabetham post
 mortem suam sanasse egrotantem Mona-
 chum, curasse puellam demoniacam, resti-
 tuisse manum paralytico, resuscitasse su-
 spensum maleficum, Scholasticum in flumi-
 ne pridem mortuum, Iuuenem item extin-
 ctum, puerum qui in puteo perierat, puellam
 in flumine submersam, Natatorem diu antè
 mortuum, & furem in sublimi patibulo su-
 spensum: illustrasse item oculos cæci nati,
 abstulisse gibbos & strumas, duas fœminas
 cæcas curasse, nec non virum oculis captum,
 puellam item, quæ cæca, surda, muta, et clau-
 da fuerit. Hæc & alia Elizabethã iam mor-
 tuam, inuocatam autem, fecisse narrat san-
 cta Lugenda, expressis etiam personarum
 nominibus, ut res credibilior euaderet. Hæc
 pura puta mendacia credebantur publicè,
 his in fraudem Inuocationis sanctorum
 inducebantur simplices. Taceo iam mi-
 racula alia, quæ incantationibus, magicis

II. CAP. POST. EPIST.

artibus, prestigijs, collusione Diabolorum, apparitionibus Spirituum, alijsquè multis clandestinis dolis perficiebantur: de quibus omnibus atq; singulis hìc differere nimis prolixum foret.

Sexta deniq; nota Antichristi, quæ est ipsius antehac sub eximie sanctitatis larua latitantis Reuelatio, conspecta est hisce nostris temporibus. Siquidem is per prædicationem Euangelij æterni (Apoc. 14.) detectus est Mundo, & interfectus Spiritu oris Christi in plurimorum non modò priuatorum hominum, sed etiam populorum cordibus.

Cùm igitur omnes circumstantie atq; nota Antichristi à D. Paulo enumerata, in Pontificis Romani Primatu & Regno, hac luce clarius, conspiciantur: nemo nugis Papisticis, de Antichrsto alio quodam, suum excantari sibi patiatur cerebrum, neque cum Pontificijs in ipso meridie cætutiat & ineptiat de Antichristi persona certa quadam: cum repugnet id figmentum textui Apostolico asserenti, quòd tempore Pauli Negotium Antichristi ceperit, & iam tum fuerint

runt Antichristi multi, quorum omnis Impietas in Papistici Regni Monarcham quandoque transferenda fuerit, atque id demum die ultimo prorsus aboleri debeat: id quod de persona una capere absurdum simul & impossibile est. Atque hæc de primo loco dicta sufficiant.

Secundus locus. Cum reuelatio Antichristi signum esse debuerit aduentantis ad Iudicium Christi Domini, id vero signum iam apparuerit: reliquum est, ut exemplo fidelium seruorum nos paremus. Matth. 25. Luc. 21. 1. Thess. 5. I I.

Tertius. Deum prædicere futuras Ecclesie calamitates, ut sciamus, tum Ecclesiam ipsi esse curæ, tum hac Dei prouidentia hostibus terminum Impietatis constitui. I II.

Quartus de incredibili studio Satanae in seducendo mundo per omnis generis errores. Qua de re vide Matth. 7. 13. 24. 1. Cor. II. 2. Cor. II. Apocal. 12. Ergo ne simus securi, 1. Pet. 5. I III.

Quintus. Non omnia, quæ antiquitatis nomine commendant Papista, esse recipienda: siquidem mysterium primæ seminæ in-

na iniquitatis illius, Apostolo ipso teste, per-
uetusta sunt.

VI. Sextus. Sed neq³ omnia miracula sine
discrimine esse recipienda monet Paulus.
Nam & Satanas tanquam potens spiritus
incredibili arte celeritateq³ nouit opera mi-
randa perficere, quae ipsa tamen ad fallen-
dum sunt comparata. Idcirco passim monet
Spiritus sanctus, ne prodigijs eiusmodi no-
bis imponi patiamur, Deut. 13. Matth. 24.
Apocalyp. 13.

VII. Septimus. Deum Opt. Max. sub den-
sissimis tenebris Antichristiani dominij suos
sibi electos conseruasse, Paulus ipse, ut in pa-
raphrasi dictum est, subinnuit. Fuerunt
enim, qui vel aperte contradicerent erro-
ribus Papistarum, ideoque occisi sunt: vel
tacite illos improbarent, vel in mortis Arti-
culo, deflagrantibus errorum stipulis, ipsi
super fundamento salutis Christo, in cuius
fiducia moriebantur, saluarentur. Sicut &
paruuli non vltima fuere pars Ecclesiae supe-
riorum temporum. Ergo non intercidit
prorsus Ecclesia, si maxime Papa cum suis
coniuratis pro vera Ecclesia non habeatur.

Octa-

OCTAVUS. De horrenda DEI ira ad-^{VIII.}
uersus ingratitude[m] Mundi pro concessio-
Euangelij dono. Quam vindicat ablatio-
ne verbi. Amos 8. Matth. 21. Apoca-
lyp. 2. Quod Orientalibus etiam Ecclesiis
olim florentissimis per Mahumeticam bar-
bariem, proh dolor, euenit. Ergo grati si-
mus, ne idem nobis usu veniat.

NONUS. Non unumquemque in sua^{IX.}
religione saluari. Quia Paulus aperte o-
stendit, eos damnari, qui, omissa veritate,
iniustitiam errorum Antichristi approbant.
Ideoque clamat è caelo Angelus DEI:
Exite ex illa, populus meus, ne participes^{Apoc. 18,}
sitis delictorum eius, & de plagis eius ne ac-
cipiatis. Quoniam peruenerunt peccata e-
ius usque in caelum, & recordatus est Deus
iniquitatum eius.

TERTIA PARS.

VATICINIO de luctuosissima calamitate
Ecclesiae, nunc subiungit gratiarum
actionem pro Thessalonicensibus, cum ex-
hortatione simul, atq; voto coniunctam.

Nos

Nos autem debemus gratias agere Deo, &c.) *Sensus est: Cùm tanta tamquè tristes & horrèda seductio immineat Ecclesiis Orbis: quàm igitur vos estis beati, quibus incorrupta Euangelij doctrina concessu munereq; Dei obtigit? Iustissimum ergo est, ut & vos gratis mentibus hoc agnoscatis beneficium, & nos de vobis Deo immortales agamus gratias, quòd dilexerit vos, & iam inde ab initio ad salutem elegerit, sine ullo vestro merito. Vbi phrasis Apostoli notanda venit: ab initio, quæ idem significat, quod, ab aeterno. Sicut I. Ioan. I. λόγος eadem phrasi ab initio fuisse scribitur, & Mich. 5. egressus ipsius ab initio, ubi καὶ ἐπεξήγησιν additur: à diebus aeternitatis. Ita hoc loco innuit Paulus, Thessalonicenses ab initio, hoc est, ab aeterno esse electos à Deo. Ceterùm q̄ subiicit: per sanctificationem spiritus & fidem veritatis: vult Thessalonicenses ita suæ salutis rationem atq; modum considerare, ut eam non in nuda simpliciq; prædestinatione collocent, sed oculos conuertant ad media, per quæ gratuita illius Electionis propositum exequitur Dominus:*

nimi-

nimirum quòd electos suos non nisi Spiritu suo prius sanctificatos & saluifica fide veritatis Euangelicæ imbutos saluare, seu ad finem electionis, nempe salutem animarum perducere velit. Ideoq; addit: Ad quod vocauit vos per Euangelium nostrum) ubi Organum executionis æterni illius propositi designat, nimirum Euangelium de Christo, per cuius prædicationem Thessalonicenses vocati sint ad eam gratiam, quam de ipsis Dominus ab æterno constituit. Id verò Euangelium appellat suum (per Euangelium nostrum, inquit) non quòd Apostoli sint Autores illius doctrinæ, sed quia Ministri eius sunt.

In acquisitionem gloriæ &c.) Finis exprimitur, in quem tum æterna electio Dei, tum in tempore facta vocatio tendat ac respiciat: videlicet, ut Thessalonicenses in hoc quidem seculo per fidem apprehendant, in altero autem re ipsa æternum possideant gloriam Domini Iesu Christi: non eam quidem, quam ipse ad Dei dexteram solus possidet, ne cum angelis quidem communicans illam, Hebr. 1. sed gloriam, quam
ple-

plenitudine meriti sui nobis comparavit.

Itaq; fratres state) Gratiarum actioni subijcit commonefactionem, eò spectantem, ut in accepta gratia persistant, & institutiones Apostolorum, quas antea vel ex illorum ore & predicatione hausserint, vel ex authenticis Epistolis perdidicerint, fidei constantia retineant.

Ipsè verò Dominus noster Iesus Christus, &c.) *Votum est seu precatio, qua optat & precatur, ut is, qui ex opulenta charitate sua dederit consolationem æternam, & spem bonam (quæ nec fallere nec falli possit) ea ipsa æterna consolatione soletur corda Thessalonicensium, ea ipsa spe bona fulciat & stabiliat illos in omni sermone, hoc est, in verbo Dei, & in omni opere bono, ad quod solus Euangelij sermo facit idoneos.*

LOCI COMMUNES.

- I. Primus. De gratitudine soluenda Deo, pro immenso & inestimabili ipsius beneficio atque Thesauro communicati Euangelij.

gelij. De quo loco communi etiam in primo Capite est dictum.

Secundus. De Electione ad vitam æternam. Ea est quidem merè gratuita, quatenus non ob ullum nostrum meritum obtingit. Interim non est absoluta, sed in Christo ordinata, in quo facta electio est, Eph. 1. et fidei respectu (quatenus illa relatè in hunc Christum fertur) determinata. Nam quos præsciuit (in Christum credituros) hos iuxta hanc *αἰώνιον* etiam prædestinavit. Cum quidem aliàs impossibile sit, hominem sine fide placere Deo, Hebr. 11. multò verò minus ita placere Deo, ut ad ipsam æternam beatitudinem eligatur sine fideli aspectu meriti Christi. Et manet Electio nihilominus gratuita, si maximè nō omnis respectus fidei inde remoueat: sicut iustificatio gratuita manet, et si sine fide nequaquã fiat. Et quamquam fides effectus est eligentis Dei: ab electionis tamen consideratione neutiquam est remouenda: sicut & Passio Christi prædestinationis effectus quidam est, nec tamen sine respectu passionis aut meriti Christi vel facta est, vel fieri etiam potuit Electio, Eph. 1.

Tertius.

Rom. 8.
1. Pet. 1.

- III.** Tertius. *Electos extra cœtum vocatorum & sanctificatorum fidelium non esse querendos. Ideoq; Paulus & hic, & Rom. 8. hæc cõiungit. Ergò non quicquid aliquis faciat, est ad salutem electus: sed ij demùm electi sunt, qui credunt & ad finem perseuerant. Et hinc tanquam ex effectu agnoscuntur Electi, si per Dei spiritum sint sanctificati, Ephes. 1.*
- IIII.** Quartus. *Nunquam in spirituali cursu debere nos languescere, sed stare & tenere mordicus gratiam nobis datam, 2. Cor. 6. sicut Paulus exemplo Cursorum & Athletarum admonet, 1. Cor. 9. Phil. 3. 2. Tim. 4.*
- V.** Quintus. *Tenendas esse traditiones Apostolorum, nõ fictitias illas nugas & aranearũ telas, quas pro Apostolicis traditionibus venditant Pontificij, de quib. supra dictum: Sed eas, quas scriptis suis expressas reliquerunt Apostoli. Sicut doctrina ipsa de Christo mortuo & resuscitato TRADITA scribitur, 1. Cor. 15. Et mysterium cœnæ Domini-
1. Cor. 11. nice TRADITVM legitur Corinthijs à Paulo, adeoq; uniuersa doctrina Euangelij. Ritus autem & Ceremonias, cultui subseruientes,*

uientes, liberas nobis reliquerūt, ita tamen, ut ea cum Verbo Dei congruant, neque illis assuatur opinio cultus, aut meriti, aut necessitatis.

Sextus. *Consolationem Christianorum* **V I.** esse aeternam, & spem illorum bonam, adeoq; inconcussam, quæ non pudefacit, Roman. 5. Ergò omnibus afflictionibus huius seculi opponamus sempiternum illud solatium, quòd Deus nos diligit in vnigenito filio suo. Sicut Paulus inde aduersus omnes inferorum portas triumphat, Rom. 8.

Septimus. *Perseuerantiam in sermone* **V II.** veritatis omniq; opere bono non esse nostrarum virium, sed à Deo petendam, & fide vera expectandam, 1. Cor. 1. 10. Phil. 1. 2. 2. Tim. 1. 1. Petri 1.



Cap. III.

Argumentum & Distributio Capitis.

Potest hoc Caput in tres principaliores partes redigi. Prima pars requirit à Thessalonicensibus ea, quæ ad cursum Euangelij, cum
L apud

apud ipsos, tūm apud alios quoq; prouehendum spectant. Secunda pars agit de hominibus otiosis, & inordinate viuentibus, cūm fugiendis, tūm corrigendis. Tertia vltimam manum imponit Epistolæ, eamq; claudit voto & salutatione consueta.

PRIMA PARS.

Quod superest, orate, fratres, pro nobis. &c.) *Propositio est, qua preces Thessalonicensium pro se suisq; in Ministerio socijs expetit Apostolus.*

Quod superest, &c.) *Hoc, de quo nunc monebo, semper vobis superest præstandum, neq; unquam id officium ita exoluetis, quin porro etiam exoluendum restet: Videlicet, ut pro nobis (in Euangelio docendo & Ecclesia plantanda laborantibus) oretis Deum, vestrisq; precibus nostros conatus iuuetis. Quæ verò debet esse materia precatationis illorum? Et quid debent orare? Primò quidem, ut sermo Domini currat, hoc est, ut longè lateq; propagetur. Vtitur autem elegantì Metaphora ab ijs sumpta, quæ celeri cursu loca omnia perambulant. Quæ Metaphora Psaltes etiam verbi Dei successum describit, cum canit: velociter currit sermo eius.*

Psal. 147

eius. Sensus autem est: Orate, ut sermo Euangelij sine omni impedimento vel obstaculo in uniuersum propagetur mundum. Deinde, ut glorificetur, hoc est, ut homines Euangelij doctrinam magnifaciant, et ex eo copiosum ferentes fructum, Deū glorificent.

Sicut & apud vos) Orate, ut apud ceteras etiam gentes Dei adhuc ignaras inclarescat Euangelij sermo, & pari fœlicitate atq; successu fructificet, quo apud vos. Vbi grata mentione exempli ipsorum domestici, efficaciter eos extimulat, tum ad preces modò requisitas deuotè faciendas, tum verò ad perseuerantiam in Euangelij obsequio, utpotè quam suo Apostolo tantoperè probari intelligunt.

Ut eripiamur ab absurdis ac peruersis hominibus.) Hoc tertium est, quod precari iubet Thessalonicenses, ut videlicet Apostoli et illorum Symmysta liberentur ab importunitate eorum, qui obsistunt Euangelio, variâq; impedimenta obijciunt, ne id liberū undiquaq; cursum successūq; habeat. Itaq; vel hostiliter & apertè id oppugnant, vel profana mēte rident, vel suis fanaticis opinionib.

III. CAP. POST. EPIST.

doctrinam veritatis inuoluunt ac peruertunt. Non enim omnium est fides) Hoc est, cum superbe obsistant doctrinae Euangelicae, re ipsa declarant se infideles. Nam fides non est omnium, quippe quae solius Dei opus est, qui eam praefractis illis & obstinatis contemptoribus (sive aperti sint hostes, sive occulte & per cuniculos Euangelium oppugnent) conferre non vult.

Ceterum ne ansam praerberet Thessalonicensibus de sua in fide perseuerantia dubitandi, quia scilicet fidei assensum illum humanis derogat viribus, soliꝑ Deo operanti adscribit: idcirco consolationis loco subiicit: Sed fidelis est Dominus, qui stabiliet vos, & custodiet à malo) quasi dicat: Et si fides nequaquam vel omnium est hominum, vel opus humanarum virium: tamen haudquaquam ideò dubitate de salute vestra. Is enim, qui fidem semel in vobis accendit, confirmabit etiam vos in illa, nec patietur eam in vobis subuerti aut extinguere. Et hac de re certos reddit Thessalonicenses suos, sumpto argumento à constantia & fidelitate Dei, quasi dicat: Fides vestra nititur Dei fide.

fide. Is fidelis est & constans. Idcirco non sinet vos dono fidei collato excidere, sed stabiliet vos in eo, & custodiet ab omni malo, à Satana eiusq; ignitis telis & insidijs, ne ijs fidem vestram cōcutere vel labefactare possit. Ne autem hac cōsolatione minus dextrè accepta nimis ad alterum latus deflecterēt, & securi euaderent, statuerentq;, quicquid tandem porrò facerent, id sibi fraudi esse non posse: idcirco sicut ex vna parte contra tentationes diaboli eos est consolatus: Sic nunc ex altera munit illorum animos aduersus securitatem carnis, vt in media regiaq; via inoffenso pede ingrediantur, ac seruentur. Proinde subiungit: Confidimus autem per Dominum, &c.) Hoc est: quæ consolandi animo dico de fidelitate Dei: non sic, velim, accipiatis, quasi vobis integrū sit porro facere, quicquid lubet. Sed ita demum contra potentiam & assultus Satanae vos tutos fore noueritis, si in bono inchoato perstiteritis, ac non vos ipsi à sanctis Dei obsequiis sponte vestra deflexeritis. Porrò cum inquit: Confidimus: argumentum ad persuadendum non inualidum inuoluit à con-



III. CAP. POST. EPIST.

cepta sua de ipsis spe, quasi dicat: speramus omninò fore, ut nostram de vobis conceptam egregiam spem & expectationem non fallatis, sed eandem potiùs laudabiliter impleatis. Quæ verò spes illa? Nimirum, quòd faciatis & facturi sitis, quæ præcipimus. Ergò requirit ab eis obedientiam Ministerio debitam. Et vox (præcipiendi) implicat exhortationis Argumentum, hoc sensu: Nostis, quæ nos Apostoli reliquiq; Doctores Ecclesiarum præcipimus, hæc à Christo ipso præcipi. Siquidem non priuato nomine vel arbitrio præcepta dictamus aut imponimus, sed nomine eius, cuius vice hanc legationem sustinemus, cuius autoritas meritò Sacrosancta vobis esse debet: ut sicuti hætenus facitis, quæ recta sunt, ita & porrò facere perseueretis.

Quoniam autem id ipsum non est humanarum facultatũ aut virium: ideò voto id, ad quod illos exhortatur, optat eis. Sic enim pergit: Porrò Dominus dirigat vestra corda in dilectionem Dei & in expectationem Christi. Mens verborum D. Pauli hæc est: Sicut persuasum habemus, vos canonem

nonem præceptionum Apostolicarum fideliter secuturos: sic id ipsum vobis ab eo precamur, qui solus potenter ac misericorditer id largitur, videlicet à Deo. Is divino suo Spiritu regat ac dirigat corda vestra in dilectionem Dei, ut Deum sincero amore filiali sic prosequamini & revereamini, quò hic amor in ipsum conceptus acres stimulos vobis addat sanctis præceptis eius humiliter obsecundandi. Deinde, ut dirigat corda vestra eis ὑπομονὴν in Patientiam Christi, ne aduersitatum procellis de recto statu fidei, pietatis & obsequij vos deturbari patiamini, sed infractis animis persistatis inuicti, id què ipsius Christi hac in re vobis præeuntis exemplo.

LOCI COMMUNES.

Primus. Erudit nos Apostolus, neminem in hac vita ad tantam proficere perfectionē, quin aliorū ad Deum precibus opus habeat. Sicut Paulus, licet eximius Apostolus, Thessalonicensium preces & vota sibi commodari rogat. Quin Christus ipse, quātumuis absolute perfectionis exemplar, quādo luctatur cum

pauoribus inferni, expetit preces discipulorum suorum, ut vnâ secum orent. Hypocrite igitur sunt, qui arbitrantur, se sibi met sufficere, neq; aliorum precibus egere.

II. Secundus. Hinc de precum efficacia quoque monemur, quòd non cadant irrita, sed efficaces sint, Iacobi 5. Ideoq; sanctissimi **2.Reg. 19.** quiq; preces aliorum expetiuerunt. Hiskias **Dan. 2.** Esaiâ Prophetâ: Daniel sociorum suorum: Paulus Ecclesiarum, Ephes. 6. Coloss. 4. 1. Thess. 5. Et habent tales preces piorum pro inuicem fusâ certissimam promissionem ex-auditionis, Matth. 18.

III. Tertius. Sed & quid præcipuè, præ rebus cunctis alijs, à Deo petendum sit, edocet Textus Apostoli, nimirum, ut sermo Domini currat & glorificetur. Ideoq; Christus in **Math. 6.** Oratione Dominica ante omnia nos orare iubet, ut Dei nomen sanctificetur, & regnum Dei veniat. Quod fit, cum Euangelij prædicatione homines illustrati nomen Dei & Christi vero rectoq; cultu glorificant. Sic **Math. 9.** iterum orare iubet Christus, ut Dominus extrudat operarios multos in messem suam. Et Apostolus vult, ut Colossenses orent, quò sibi

sibi cæterisque Apostolis aperiatur ostium sermonis, ut loquantur mysterium Christi. Id-
quæ omnium Christianorum officium est,
cursum Euāgelij, Ecclesiæq; statum Deo pijs
votis & precibus quotidie commendare.

Quartus. Quod sermo Euāgelij cur- IIII.
rere dicitur, admonemur de sanctissima hu-
ius Doctrinæ maiestate. Quis enim illam
non ut Dei vocem, ut DOMINI sermonem
(velut hic appellatur) suspiciat? quod prædi-
catio coram rationis iudicio tam stulta, tam
absurda, tam uniuersæ Naturæ hominis
inuisa & inimica, tanta nihilominus tamq;
incredibili celeritate, uniuersum mundum
est peruagata? adeo, ut Apostolus, Col. 1. af-
ferat, suo iam tempore prædicatum esse Eu-
angelium apud uniuersam creaturam, quæ
sub cælo sit, & fructificare in toto Mundo.
Cuius admirandæ celeritatis meminit Psal-
tes quoq; cum ait: In omnem terram exiuit Psal. 19.
sermo eorum, & in fines orbis terræ verba e-
orum. Hic est currus ille Ezechielis, qui vi Ezech. 1.
ventorum Domini subito ad omnes Orbis
partes vehitur. Hoc Dei tonitru omnia vi Psal. 68.
celeritateq; sua mirum in modum sic pene-
trans,

trans, ut non potuerit hic vastissimus terrarum orbis cuiusquam vel passibus, vel remigum contētionē celerius peragrari, quàm omnes oræ, intimiq; mundi recessus atq; sinus, Evangelicæ doctrinæ non dicam perlustrati cursibus, sed victorijs subacti, & triumphis ipsius spolijsq; sunt illustrati.

V. Quintus. Quoniam Apostolus tūm demum sermonem Dei censet currere, quando idem ille sermo etiam glorificatur: perspicuè declarat, verum & salutarem eius usum non in solo auditu esse positum, sed requiri insuper, ut is à nobis glorificetur. Quod tūm fiet, si & fidei assensu illum fuerimus amplexi, & vitæ sanctimonia professionem Evangelij exornauerimus. Ideoq; Christus eos demum pro suis amicis, fratribus, sororibus, &c. reputat, qui sermonem ipsius seruant, Matth. 12. Et Iacobus vult nos non tantum

VI. esse auditores, sed & factores verbi, Iac. 1.

Sextus. Nunquam deesse sinceris Doctoribus suos hostes, suas pestes & furias, homines absurdos & peruersos, qui sanctos illorum labores improbitate sua interpellare, & publicum Ecclesiæ DEI commodum inter-

interuertere moliuntur. De quibus Paulus
 2. Timoth. 3. quemadmodum Iannes &
 Iambres resistebant Mosi, ita & hi resi-
 stunt veritati, homines mente corrupti, &
 circa fidem reprobi. Tales cauendi sunt, mo-
 nente rursus Paulo: cauete canes, cauete Phil. 3.
 malos operarios.

Septimus. Fidem DEI opus esse disci- VII.
 mus: ideoque non omnium illam esse scri-
 bit Paulus. Qua de re testimonia extant
 Philippens. 1. & 2. Idcirco DEVM ore-
 mus, ut ipse fidem conferat, fidem in nobis Luc. 17.
 augeat, fidem nostram ad finem usque in- Marc. 9.
 concussam seruet. Meditemur & tractemus
 sedulo verbum Dei, tanquam id medium,
 ex quo fides per sancti Spiritus operationem
 existit, Rom. 10.

Octauus. Quae sint adhibenda reme- VIII.
 dia dubitationi de perseuerantia in peri-
 culis & aduersitatibus. Vires certe nostrae
 non sufficiunt absoluendo tanto certamini:
 quod Petri lapsus docet. Quid ergo? Du-
 bitabimus de hac perseuerantia? Mini-
 me. Sed illa medicina usurpetur, ad quam
 nobis Paulus digitum intendit. Ea verò est
 medi-

III. CAP. POST. EPIST.

meditatio bonitatis fidelitatisq^{ue} Dei, quem
Rom. 11. *donorum suorum non pœnitet, sed constans*
est in favore cœlesti suo erga fideles obse-
Ioan. 10. *quentes, ut nemo illos possit rapere ex ipsius*
manibus. Cuius fidelitatis Dei passim me-
minit in consolationem Christianorum no-
ster hic Apostolus, ut 1. Cor. 1. & 10. Phil. 1.
Sed & Petrus 1. Epist. 1. & 5.

I X. *Nonus. Sicut in Septima petitione ora-*
tionis Dominicæ petimus à malo liberari: ita
D. *Apostolus de exauditione petitionis illius*
hoc in loco nos certos facit, spectandam pro-
ponens fidelitatem DEI. Necessaria autem
est hæc petitio propter indefessum illud bel-
lum, quod nobis indicit Satanæ, de quo E-
phes. 6. & 1. Petri 5. Semper ergo petamus,
(& quidem ex fiducia bonitatis fidelitatis-
quæ Diuinæ) ut Deus à malo nos clementer
custodiat, tandemq^{ue} plenè liberet, contritis
sub pedes nostros cunctis hostibus.

X. *Decimus. Paulus commonefactioni-*
bus vota subindè interspergens, docet, omnè
laborem concionum adhortationumq^{ue} fru-
straneum esse, nisi incrementum impetretur
1. Cor. 3. *à Domino. Plantare quidem & rigare pos-*
sunt

sunt ministri: Deus autem solus est, qui dat incrementum. Ergo nunquam non precibus quoque suis pro grege commisso excubent fideles Ministri verbi, Syrac. 39.

Vndecimus. Eiusdem exemplo di- XI.
scant Ecclesiarum Pastores sanctum artificium in formandis exhortationibus: qui nunc se considerare ait, quod Thessalonicenses obtemperaturi sint, nunc serio precipit, nunc laudum stimulis incitat, nunc vota et preces immiscet, nunc eam ad rem Dei Gratiam pollicetur, & in varios modos se pie transformat, ut iam ante currentes instiget amplius, & cessantes excitet. Idem faciant Diuini verbi Praecones, praedicent, hortentur, arguant, increpent, obtestentur, obsecrent, atque omnino ad salutem auditorum gloriamque Dei, ceu finem ultimum, uniuersa referant.

2. Tim. 4

Duodecimus. Dei dilectionem, qua XII.
nos ipsum prosequimur, à Domino proficisci. Hic enim est, Apostolo perhibente, qui in eam corda nostra dirigit. Ergo antequam nos illum diligimus, prior ipse diligit nos, I. Ioan. 4
adhuc inimicos existentes. Atque sic ubique Rom. 5.
nos

nos misericordia sua prauertit : ne vel hoc, vel dona spiritualia cetera tribuamus Naturæ nostræ viribus, sed soli beneficæ operationi clementissimi Dei.

XIII. Decimus tertius. Porro ad eam dilectionem quia Paulus corda Christianorum optat dirigi: demus operam, ut omnia cogitata consiliaq; nostra ad hanc amissim atq; Canonem unice exigamus, ne quid committamus à Dei dilectione absolum. Sic cauebimus peccata contra conscientiam, quæ cum Dei & Christi dilectione consistere simul haud possunt: iuxta illud Saluatoris pronuntiatum: qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Et rursus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Atq;

Ioan. 14.

Ioan. 5.

iterum: Hæc est charitas Dei, ut præcepta eius seruemus.

XIIII. Decimus quartus. De obedientia Ministerio debita, quam à suis Thessalonicensibus requirit Apostolus, ut faciant, quæ hæcenus præceperit. Eandem requirit Autor Epistolæ ad Hebræos 13. Qui autem non obtemperat Dei Seruis & ministris, is Domino detrectat obsequium, Gen. 6. Luc. 10. 2. Cor. 5. 1. Thes. 4.

Deci-

Decimus quintus. *De patientia præ-* XV.
standa sub cruce monet Paulus, quando cor-
da fidelium in patientiam Christi vult diri-
gi. Et quidem Christi exemplū, quod attin-
git, sit nobis efficax argumentum ad tole-
rantiam in pectore nostro sancendam. Sic-
ut ipsemet multoties id inculcat discipulis,
Matth. 10. Luc. 14. 22. Ioan. 15. Gestiamus
igitur esse participes afflictionis & patien-
tiae Iesu Christi, ut & Regni eius consorti-
bis nobis esse liceat, Apoc. 1.

SECUNDA PARS.

*S*ecunda parte dixi institui cohortatio-
nem ad vitandos corrigendosq; homi-
nes dissolutos. Eam orditur hisce verbis:
Præcipimus vobis, fratres, per nomen
Domini nostri Iesu Christi, &c.) Quia
Paulus non obiter requirit, sed pro Aposto-
lica auctoritate præcipit ea, quæ subiunctu-
rus est: ideò benevolentiam Thessalonicen-
sium blanda & amica fratrum appellatio-
ne captat, ut seueritatem commonefactio-
nis emolliat. Præcipimus, inquit, & qui-
dem præcipimus nõ arbitrio privato nostro,
sed

sed per nomē Domini nostri Iesu Christi, cui vos ipsi summo iure parendum ducitis. Quid verò precipit Apostolus? Hoc videlicet, vt subducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, hoc est, vt abstineatis à conuersatione eius, qui, cum ratione externæ professionis sit Frater & nominetenus Christianus: vita tamen & moribus dissolutis suis Professioni tam augustæ non respondet, nec intra officij cancellos se coërceri patitur, per institutionem, quam accepit à nobis, sed ex suo viuit libitu, otio ignauo deditus, & ex otio in alia quoq; peccata diffluens.

Nam ipsi scitis, quo modo oporteat imitari nos, &c.) *Rationem ab exemplo suo affert, quasi dicat: Nos non tantum viuendi præcepta dedimus, sed eadem exemplo quoq; nostro confirmauimus, ac veluti lucem prætulimus vobis, vt nos imitarentur. Scitis enim, quòd non inordinatè gessimus nos: nec viximus in otio: quin etiam à licita quiete abstinuimus. Licuisset mihi (Apostolo vestro) pro labore prædicationis accipere stipendium, cum DEVS ita ordi-*

ordinârit, ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uiuant. Proinde si hoc meo iure uti placuisset, poteram victum à vobis, tanquam mei inter vos laboris fructum, meo quodam iure repetere, atq; sic labore manuario supersedere. Sed hoc meo iure me- met abdicavi, non accepi gratis panem à quoquam. Sed nocte dieq; non sine labore & sudore operatus sum, texendo au- Acto. 18.
lea, ne cui vestrum essem oneri, neu quisquam conqueri posset, se me alendo grauari sumptu. Non quòd id nobis non liceat.)

Occupatio est, geminam obiectionem diluens. Primò enim potuisset obijci, Apostolum iure salariū petere non potuisse, quòd Thessalonicenses ei hoc non debeant. Deinde potuissent alij exemplum Pauli transformare in communem Regulam, quasi & cæteris ministris Ecclesie laborandum sit manibus, nec stipendia possint aut debeant pro Ministerij labore petere. Vtrumq; hoc ita diluit, ut ostendat, omninò fas integrumq; fuisse sibi, petere ab ijs stipendium. Se autem spontè non usum esse sua hac libertate, ut se typum & formam sisteret Thessalonicensibus

M

imi-

imitandam. Porrò hoc exemplum, quia non à pari, sed à maiori ad minus ducitur: eò fortius est ad concludendum id, quod proposuerat: hunc in modum: Si ego (cui licebat abstinere ab opere manuario, & vacare soli Ministerio verbi) ne quidem concessa illa requie sum usus: sed meis manibus victum mihi comparavi, ut parcerem alijs: multò profectò minus debent alijs extra omnem uocationem viuere ociosi, alijsq; oneri esse.

Etenim cum essemus apud vos, &c.) Ratio alia desumpta à iustissima lege, quam tradiderat eis, cum apud illos versaretur, videlicet, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Agit autem hæc Regula de his, qui corporis viribus ad laborandum valent. Quibus ferias agentibus, rectè cibum negari ordinavit Paulus: nihil noui constituens, sed antiquissimam constitutionem ipsius Dei repetens: In sudore vultus tui comedes panem tuum.

Gen. 3. Audimus enim, quosdam versantes inter vos inordinatè, &c.) Causam exponit, qua motus ordinationem Regulamq; de negando ociosis victu, ipsisq; declinandis & ad

ad honestos labores adigendis, renouet: quia nimirum certior factus sit, esse quosdam in ipsorum cœtu, qui huiusmodi vitam otiosam & inordinatam sint amplexi, ut & nihil agant eorum, quæ suæ erant uocationis, ac nihilominus ex curiositate quadam agere uelint omnia, ad se quæ nihil pertinent. Ijs autem, qui sunt eiusmodi, præcipimus seueriter, & obsecramus amanter, per Dominum nostrum Iesum Christum, in cuius nomen ipsi baptizati sunt, ut cum quiete operantes, suum ipsorum panem edant. Vbi Apostolus quietem honestam cum curiositate, opus legitime uocationis cum turpi & ignauo ocio per antithesin egregie contendit, & panem cibumue proprium uictui parto labore ac sudore alieno (quo ignaui illi fuci fruebantur) opponit.

Vos autem, fratres, ne defatigemini in benefaciendo) Sicut hominibus odiosis illis atque ociosis hæc, quæ scripsit modò, uult dicta: ita nunc ab illis ad pios in Ecclesia Thessalonicensium per Apostrophem compellandos transit. Quos hac regula instruit,

ut ne desinant operas suæ vocationis facere diligenter ac fideliter, nec ociosorum prauo exemplo permoti sic defatigentur, ut & ipsi circa vocationem suam intempestiuas ferias agant.

Quod si quis non obedit sermone nostro &c.) Quia D. Apostolo non ignotum erat ingenium hominum inordinatè se gerentium, quòd neq; solis præceptis, neque nudis obtestationibus, quantumuis serijs, in ordinem se redigi paterentur: ideò remedium Ecclesiasticæ seueritatis penè vltimum adhibendum censens, petit, si talem quempiam viderint hominem dissolutum & igna-uum, ut illum notent, & per Epistolam seu literas sibi indicent, ut quid de illo statuen- dum & quo pacto in viam reuocandus ille sit, dispiciat. Interim vult illius vitari com- mertium: annotato sine hoc: ut pudore suffundatur, quando scilicet viderit, se re- liquorum Christianorum consortio haberi indignum, ut agnita proteruia sua resipi- scat. Ne autem hac in parte perperam quid fiat, submonet, quomodo se ab illius fami- liaritate subducere debeant cæteri, non ut
hosti-

hostiliter eum insectentur, sed ut sanctis admonitionib. in viam reducere laborent: atq; sic peccata illius oderint, personam non oderint, sed Christo lucrifacere contendant.

LOCI COMMUNES.

Primus. *Ministri cum quid precipiunt, quod vel doctrinae sinceritatem concernit, vel ad vitam Auditorum informandam spectat: non suo id faciant nomine, sed, Apostolum imitati, per nomen Domini nostri Iesu Christi: ne vel arrogantia, vel affectati cuiusdam in Ecclesia dominij suspicionem incurrant. Ideoq; precepta & institutiones suas Spiritus sancti testimonijs fulciant, ut videant Auditores, non ab homine precepta dictari, sed inculcari Dei voluntatem, iussa & mandata.* I.

Secundus. *Hinc Auditores quoq; discant, quae suae sint partes, videlicet Doctorum suorum monita non contemnere, sed iisdem debita humilitate parere, ne inobedientia sua Dei iram prouocent: quandoquidem eiusmodi monita Ministrorum Ecclesiae sunt ipsius Dei iussa. Proinde qui ea de-* II.

M 3

spicit,

spicit, Deum ipsum despicit, Luc. 10. 1. Thes. 4. Sicut Samueli dicit Dominus: non te proiecerunt, sed me, 1. Sam. 8.

III. Tertius. De Conuersatione seu familiaritate malorum fugienda: ne vel nobis scabiem suorum vitiorum affricent, iuxta illud Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab illa, & 1. Cor. 15. Corrumunt bonos mores colloquia praua: vel ne in peccatis illos intempestiua nostra consuetudine confirmemus, atq; sic communicemus peccatis alienis.*

IIII. Quartus. Nullam vnquam fuisse Ecclesiam tam benè constitutam, quin aliqui professione fidei fratres extiterint, qui dissolutiore vita sua doctrinæ Euangelij maculam aspergerent, scandalumq; præberent: adeò ut ne quidem Ecclesia Thessalonicensis præclare alias constituta planè libera fuerit ab omnibus offendiculis. Quod ipsum apparet exemplo omnium Ecclesiarum, ad quas Paulus scripsit, ubi semper aliqua in aliquibus seriò fuerunt castiganda. Quod contra Anabaptistarum furores est notandum, qui Ecclesie Ideam Platoniam quandam sibi
ima-

imaginantur, in qua nulli prorsus amplius sint impij. Qualem Ecclesiam optare quidem licet, sperare autem in hoc seculo haud licet: quemadmodum Parabole Christi, Matt. 13. & Luc. 8. luculenter indicant.

Quintus. Docemur, quae sint Apostolorum institutiones ille, quarum aliquoties in suis Epistolis meminerunt: videlicet non haereseos & supposititia, quas Apostolorum nomine circumferunt Romanenses: quas à scriptis illorum $\delta\iota\varsigma\ \delta\iota\alpha\ \pi\alpha\sigma\omega\upsilon$ dissidere manifestum est: sed ipsa potius sanctorum Apostolorum doctrina de fide & moribus: quam ore tenus Ecclesiis in initio traditam, post scriptis Epistolis suis sunt complexi.

Sextus. Ministri Ecclesiae non solum salutaribus institutis, verum etiam exemplo laudabili suos Auditores ad pietatem provocent: ne quod una manu edificant, altera rursus destruant. Quales in populo Iudaeico erant multi, qui hominibus onera intolerabilia imponebant, quae ipsi ne minimo quidem attingebant digito: docebant alios, & se ipsos non docebant, sed quae iniungebant ceteris, ea nefarie transgrediebatur ipsi, Ro. 2.

- VII.** Septimus. *Vicissim discant Auditores in probatam vitam suorum Concionatorum tanquam speculum intueri, & actiones suas ad illorum conformare exemplum. Quod frequenter monet Christianos Spiritus sanctus, in primis autem, Phil. 3. Hebr. 13.*
- VIII.** Octauus. *Caueant Doctores Ecclesie, ne intempestiva sui iuris usurpatione cursum Euangelij remorentur. Ideoq; in his (quæ sibi stipendij nomine debentur) libentius de suo iure cedant, quàm ut morosius exigendo, auaritia notam sibi inurant: atq; sic non solum scandala, quæ data dicuntur, sedulo vitent, sed insuper ne acceptis quidem offendiculis seu accipiendis occasionem prebeant.*
- IX.** Nonus. *Perspicuum habemus hinc testimonium, licere Ministris Ecclesiarum accipere stipendia. Qua de re I. Cor. 9. luculenta extat tractatio. Quemadmodum etiam Dominus in Veteri Testamento sanxerat, Deut. 14. 18. 26. Syrac. 7.*
- X.** Decimus. *Inepti sunt Anabaptistæ, qui exemplum Pauli, operantis manibus suis, in Regulam conuertunt, quasi & alijs Concio-*

Concionatoribus sit necesse laborare manibus. Nam Apostolus ipse dum ait, licuisse sibi stipendium poscere à Thessalonicensibus, apertè ostendit, se nequaquam exemplo hoc suo extraordinario voluisse communem regulam præscribere Concionatoribus cæteris.

Qui etsi aluntur Ecclesiæ stipendijs, nec operas manuaras exercent, non tamen ociosi sunt, quia **LABORANT** in verbo & doctrina, 1. Tim. 5. Et longè alia est D. Pauli ratio, qui in Paradyso Dei omnium rerum Theologicarum notitia sic fuit illustratus, ut ex tempore potuerit optimas ad populum instituere conciones. Nobis autem opus est præcepto eiusdem Apostoli, dicentis Timotheo: Attende lectioni. Hinc Syracides Ministerij Ecclesiastici operas cum manuarijs illis coniungi posse diserta oratione pernegat, Capite 39.

1. Tim. 4

Vndecimus. Ex regula Pauli Thessalonicensibus præscripta (Qui non laborat, ne manducet) patet, non peccare eos, qui robustis mendicis, qui vagantur ociosi, cum laborare possent, Eleemosynam negant. Qua tamen in re diligens adhibenda prudentia,

M 5

ne

ne fortè huius Regula prætextu negetur ijs
etiam Eleemosyna, qui aliàs ea sunt digni.

XII. Duodecimus. Admonemur etiam de
maledictione, quæ lapsum primorum paren-
tum excepit: quòd terra non amplius sua
sponte profert ea, quæ nobis ad victum sunt
necessaria: sed labore multo est excolenda,
planè ut Adamo dixit Dominus: In sudore

Gen. 3. vultus tui vesceris pane tuo. Quæ tamen
maledictio pijs vertitur in benedictionem,
Psal. 128. Syr. 7. & 41.

XIII. Decimus tertius. Legitimæ vocatio-
nis labores probari Deo, cum ab Apostolo
Christi tantoperè illi urgeantur. Proinde si
quis ex fide suas facit operas, utcunq; humi-
les appareant, Deo tamen eos placere nihil
dubitet, Eccles. 9.

XIII. Decimus quartus. Vitandum est oci-
um, cum D. Apostolus homines ociosos in Ec-
clesia nutriri vetet. Est enim ocium omni-
um peccatorum nutrimentum. Quod &
Ethnici agnouerunt, dicentes: Ocia dant vi-
tia. Ocium puluinar Satana. Id quod Dina,
Gen. 34. **2. Sam. 11** Davidis, aliorumq; historiae declarant. Sed
& hanc ob causam ferendi non sunt homi-
nes

nes ociosi, quòd illi turbent ordinem Dei, qui omnes & singulos in certa vult versari vocatione, 1. Cor. 7. Syr. 3. ubi laboribus suis & Deo & proximo seruiant.

Decimus quintus. Fugienda quoque XV. πολυπραγμοσύνη seu Curiositas circa res alienas. Faciat quisq; quod sui est officij, neq; vel Syr. 3. ingerat se in officium alienum, neq; curiosius in aliorum actiones inquiret, presertim si vocatio ipsius non fert, ut censuram de factis aliorum sibi sumat. Eoq; magis hoc vitium est declinandum, quòd communem tranquillitatem turbet.

Decimus sextus. Concionatorum præ XVI. cepta obsecrationibus sint temperata. Sicut Paulus dum præcipit grauitè, è vestigio addit, se OBSECRARE inordinatos illos, ut ad frugem se recipiant. Nimia enim asperitas obiurgationum offendit potius quàm allicit homines à pietate alienos. Seruum autem DEI oportet esse placidum erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos, qui obsistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam.

Deci-

Decimus septimus. *Sed & quibus ponderibus constare debeant tales Admonitiones atq; obsecrationes, ostendit Paulus, quando ipse per nomen Domini Iesu Christi & precipit & obsecrat. Vide de hoc loco communi plura, Capite 2.*

XVIII. Decimus octauus. *Quoniam precipit Spiritus sanctus per os Apostoli sui, ut quisque suum ipsius panem edat: dilucido testimonio bonorum facultatumq; proprietatem confirmat, communionem verò Anabaptisticam illam refellit. Et quidem suffragatur Apostolo Lex Dei, non solum, cum furtum prohibet, verum etiam, cum vetat inordinatam concupiscentiam domus alienae, adeoq; omnium eorum, quae sunt proximi. Cum verò Lex Decalogi etiamnum duret: durat etiam Decalogo confirmata rerum proprietatis. Et si inter Corinthios omnia fuissent communia, quomodo lis potuisset oboriri inter illos, de his, quae ad victum pertinent? Qui item hortari potuisset illos Paulus, ut unusquisq; eorum secundum propositum cordis, non ex molestia aut necessitate, contribueret in usum Ecclesiarum in Iudaea cum pauper-*

1. Cor. 6.

2. Cor. 9.

paupertate conflictantium? Quomodo constaret id, quod 1. Cor. 7. scribit: qui emunt, sint, tanquam non possideant. Vbi emptio- nem certè concedit, nec non possessionem, saltem ut cor non sit terrenis rebus affi- xum: eodem planè sensu, quo paulò antè di- xit: qui habent uxores, sint, tanquam non habeant. Eadem confirmatur distinctio re- rum, Eph. 4. Qui furabatur, non furerur amplius: magis autem laboret operando manibus, quod bonum est, ut possit impar- tiri ei, qui opus habuerit. Et 1. Thess. 4. Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum. Ergo concedit negotia & contractus, qui sublata rerum proprietate stare non pos- sent. Concedit item esse diuites, 1. Tim. 6. saltem, ut tales de bonis suis sint faciles ad impartendum, ac libenter communicent. Et quoties vel Ioannes monet, ne Christia- ni, qui habent substantiam mundi, id est, opes terrenas, viscera sua claudant ab ege- nis: quoties vel Paulus, vel Petrus, vel au- tor Epistolæ ad Hebræos ad hospitalitatem exhortantur: nonne distinctionem bonorum approbant? siquidem hospitalitatis exer- cendæ

1 Ioan. 3.

Rom. 12.

1. Pet. 4.

Hebr. 13.

tendæ omnis occasio sublata esset, si quæ in
meis sunt ædibus, tam essent peregrini alicu-
ius modò aduentantis, quam mea.

- XIX.** Decimus nonus. Ne defatigemur in
benefaciendo cùm Thessalonicenses suos
tùm nos hortatur Paulus. Ergo excutia-
mus tædium illud, ad bona facienda nobis
agnatum. Et alamus benefaciendi studium
in signi promissione, Rom. 2. ubi dicitur, his
qui in benefaciendo perseuerent, paratam
esse gloriam & immortalitatem. Et rur-
sum, pietatem ad omnia esse utilem, &c.
- XX.** Vigésimus. Non esse pro proditoribus
habendos, qui dissolutos indicant ijs, quo-
rum officiũ est, in viam illos reducere. Pau-
lus certè petit tales per Epistolam indicari.
- Gen. 37.** Et laudatur Iosephus, quòd fratrum pecca-
ta ad patrem Iacobum retulit, cuius saluta-
ribus monitis ad frugem corrigerentur.
- XXI.** Vigésimus primus. Omnia ad salutem
hominum esse dirigenda, ipsamq; adeò Ex-
cõmunicationem. Quod & Thessalonicen-
ses suos monet, & I. Cor. 5. incestuosum Co-
rinthium ideò tradit in interitum carnis,
vt Spiritus eius saluus sit in die Domini.
- Resi-

Resipiscentem deinde maturè recipiendum præcipit, ne nimio dolore absorbeat. 2. Cor. 2.

TERTIA PARS.

IPse autem Dominus pacis &c.) *Conclusio Epistola constans voto & salutatio-
ne. Precatur Thessalonicensibus pacem,
hoc est, omnia bona & dona spiritualia &
corporalia. Et quidem à Domino pacis :
Deo scilicet, ut omnis boni fonte. Pacemq;
optat non paulo post desituram, sed qua du-
ret semper. Addit: omnibus modis,
indicans, se & internam conscientia pacem,
& externam prosperitatem eis precari. Do-
minus sit cum omnibus vobis.) presen-
tia & cura speciali sua, qua fideles sigillatim
fouet & complectitur.*

Salutatio mea manu Pauli propria
vobis adscripta. Quod est signum in o-
mni Epistola: ex qua subsignatione pote-
stis iudicium facere, quid à me scriptum
profectumque sit, quid secus. Ita scribo,
sicuti coràm videtis. Gratia & cælestis
fauor Domini nostri Iesu Christi (quem
passione & morte sua impetrauit) sit cum
omnibus vobis, Amen.

LOCVS


LOCVS COMMVNIS.


Notandus astus Diaboli, quòd, Apostolis etiamnum viuentibus, scripta suppositia commendare ausus est Ecclesius, sub Apostolorum nominibus. Hinc Paulo necesse erat proprio signo signare suas Epistolas. Ergò multò minus iam recipienda sunt, quæ Pontificij titulo Apostolorum ornant, cum sint à Pontificibus Romanis illorumq; mancipijs conficta, & à scriptis Sanctorum Apostolorum absona prorsus ac dissentanea.


Reliquos locos Communes ex voto Pauli obseruandos annotauimus suprà circa Epistole initium, ex verbis: Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Itaq; Lectorem eò remitto.



SOLI DEO GLORIA.








B.I.G.

Farbkarte #13

EPISTOLA
DIVI PAVLI
APOSTOLI PO-
STERIOR AD THESSA-
lonicenses scripta, perspicuis
Annotationibus il-
lustrata

Per
EGIDIUM HVNNIVM, S. THEOLO-
gia Doctorem, & Professore in Aca-
demia Marpurgensi.

Cum eiusdem Praefatione ad Christia-
num Lectorem.



MARPURGI
Ex officina Pauli Egenolphii.

M D LXXXVII

